35

SELECTA LATINI SERMONIS EXEMPLARIA

E

SCRIPTORIBVS PROBATISSIMIS

AD CHRISTIANAE IVVENTVTIS VSVM

A

P. CHOMPRÉ

VTRIVSQVE IVR. LIC.

EXCERPTA

ET

AD EDITIONEM PARISIENSEM

RECVSA

SECVNDA EXCERPTIO
POETICAE ORATIONIS.

Non Auctores modo, sed etiam partes operis elegeris.
Quintil. L. 1. Cap. 8.



Cum Privilegio Reg. Maj. Pol. & Seren. Elect. Sax.

Cum Censura Superiorum.

ALTENBVRGI,
EX OFFICINA RICHTERIA. MDCCLVI.

Pro Bibliotheca Mrii Plocko Pultoviens
O. S. B. Comparatus sumptibus Congs Be=
nedictino = Polonae Aº 1789. Ad Usum Pro=
fessor Scholar publicar Pultoviens

PRAEFATIO
AVCTORIS.

Tandem in poëtis excerpendis ad difficillimos & a communi dictionis forma remotiores pervenimus. Huic novo scribendi generi juniores lectores præparavimus varia ratione, primo, cum eos poëtarum comicorum assuefaceremus stilo, qui quidem a naturali sermonis vulgaris pulchritudine non multum recedit, nihilo tamen minus versuum metro & descriptionibus rerum ad vivum magis expressis distinguitur: deinde, cum in hac ultima parte quasdam Phædri fabulas primo loco poneremus, qui supra comicam elocutionem paululum modo ascendit, ver-

ba tamen adstringit magis ad poëticum numerum. A Phædro progressi sumus ad Ovidium, Virgilium, Horatium, Juvenalem & Persium. Ex Lucano, Statio, Claudiano, Silio Italico, multisque aliis nihil attulimus, quia melius videbatur, studium nostrum iis tantum Poëseos latinæ operibus, quæ omnium perfectissima sunt, contineri. Præterea si tironum, quibus omnes æque incogniti sunt, habemus rationem, quemcunque poëtarum evolvant, unum idemque est.

Hæc Sylloge non facta est, ut poëtas formemus; ad eum namque usum non sufficeret: nec, ut poëmatum integrorum loco esset, sed, ut aditum ad hos thesauros pretiosos faciliorem pararet, cupiditatemque excitaret, scriptores ipsos, ex quibus hæc pulchra specimina sunt excerpta, accuratius cognoscendi. Hoc autem opusculo ad finem perducto, nullum amplius perdendum est tempus, quin ad ipsos auctores continuata serie perlegendos fiat progressus.

Pro

Pro diversa prosaicæ & poëticæ orationis utilitate excerptiones nostras aut majores aut minores confecimus. Prosaica oratio, etsi nihil aliud sit, quam facultas cogitationes nostras modo naturali declarandi, multum tamen studii temporisque requirit, ut pro summa rerum, circumstantiarum & personarum differentia, diversa quoque elocutionis ratione utamur. Omnibus, quotquot sumus, in eo exercendum est, ut neque in sermonibus familiaribus, neque in orationibus publicis stilum aut affectatum aut abjectum adhibeamus. Longe alia ratio est artis poëticæ. Quisque novit Malherbii dicterium, bonum poëtam eandem fere utilitatem reipublicæ præstare, quam eum, qui conis ludendi artem bene calleat. Cum autem summi poëtæ pulchram actionum repræsentandarum descriptionem, vivas affectuum imagines, voces maxime sonoras, dimensiones justissimas, & simul plurimum variatas, ut paucis multa complectar, omnia ea, quæ mentem,

aures & ingenium delectare possunt, in operibus suis conjunxerint; non modo possumus, sed etiam debemus adolescentulos allicere, ut eorum lectione initientur. Poësis nemini, si ad eam recte aggrediatur, nocere, multis potius prodesse potest, ut dotes ingenii sui cognoscant, aut certe ex ejus studio dulcissimam voluptatem percipiant.

Haud temere optima pars temporis, Poësi reservata, tribuenda est pulcherrimis poëmatibus ab initio ad finem usque perlegendis. Hoc exercitium omnia ingenia exornat, cum contra studium versuum faciendorum justo maturius inchoatum alios corrumpit, alios sua difficultate deterret. Plerique in id unice incumbunt, ut orationem metro adstringant, reliqua vero, quomodocunque se habeant, non curant isti versificatores, qui rem omnem mera synonymorum coacervatione conficere sibi videntur. Lectio poëtarum bonorum, nisi eos scribendo imiteris, parvi constat, & multum prodest. Ab initio nihil amplius requiri-

 tur,

tur, quam ut aures adsuefacias ad numerum poëticum recte sentiendum. Non exercitationes poëticas reprehendentes hæc diximus: summe sunt necessariæ cum ad poëticam, tum ad prosaicam dictionem colendam. Nonne autem optandum esset, ut copiam rerum verborumque prius comparatam haberemus, antequam ad versus faciendos progrederemur, & ut in exercitationibus ejusmodi primis semper optima presse sequeremur exempla. Deinde loco unius carminis centum faceremus. Si magistris scholarum videtur, consilii nostri rationem probare, statim videbunt, nihil inter nos controversiæ esse. Rectissime, nec cum ullius offensione, dici potest, eos a proposito longissime aberrare, qui in locum auctorum classicorum libros a scriptoribus exteris confectos substituunt. Erasmus, quantus quantus sit, Sannazarius, Muretus & alii, qui præcipua stili latini laude commendantur, nunquam cum parva Cornelii Nepotis aut Virgilii particula, nec adeo cum

ſcenis Plauti ac Terentii maxime mediocribus comparandi erunt.

Quid proderunt nomina eorum, qui ab auctoribus recentioribus ſecum locuti eſſe finguntur? Nicolaus, Rabinus, Gaſpar, Rudolphus, Leonardus, Conradus, Vincentius, Thomas, Bartholinus in colloquiis Eraſmi parum habent jucunditatis utilitatisque, & pauciſſimis hominibus cogniti ſunt; cum contra Amphitryo, Soſia, Hegio, Menæchmus, Callicles, Simo, Davus, Chremes plurimos elegantiſſimæ latinitatis locos, qui omnium temporum, omnium regionum, omnium hominum ſunt, in memoriam nobis revocant. Quid ſperamus de Allobroge Caſtellione, de Mathurino Cordierio, & hiſtoriis ſelectis, cujus latinitas ad alterius linguæ formam conficta eſt? Multa vocabula in iis bona & uſu auctorum antiquorum probata eſſe, concedo; ſed cujus auctoritate nitemur, omnia eſſe pura & ſecundum genium linguæ latinæ conſtructa? Quod niſi factum

ſit,

ſit, hi ſcriptores recentiores nunquam poterunt ſtili exemplum præbere imitatione dignum, optima licet mente illorum ſcripta proponantur, & ſemper non majori habebuntur honore, quam apographa imaginum, cum ipſæ tabulæ adhuc ſuperſint. Hæc lectio utilis eſſe poterit, cum jam de ſtilo judicandi facultas & notitia auctorum, qui elegantiæ veræ ſunt fontes, comparata eſt. Sed ad Syllogen noſtram revertamur.

Jambici verſus Phædri, licet ad artis præcepta non rigide exacti, recedunt tamen paulo magis a proſaica dictione, quam Terentiani & Plautini. Numerus poëticus clarius ſentitur, uti jam dictum eſt. Pleræque carminum lyricorum formæ in Horatio inveniuntur.

Quinam autem loci ex Virgilio deſumendi eſſent, de eo maxime dubitavimus. Libri Georgicorum & Aeneidis ſunt opera tam bene conjuncta, & imagines tam feliciter collocatæ, ut, ſalvo integrorum poëmatum pretio, ſejungi non poſ-

sint. Alia ratio est Eclogarum, quæ possunt separari. Quæ ex Georgicis & Aeneide excerpta sunt, optime convenire adolescentum ingenio, eosque ad Virgilium ex toto legendum invitare posse videbantur. Navigatio Aeneæ, quam hic exhibemus, iter est ex una regione in alteram celeriter factum. Videmus illic, quasi in transitu, arces, templa, urbes, quarum adspectus, licet pulcherrimus, prima tamen vice diu nos detinere non solet. Descriptiones diligentissime elaboratæ non adeo magna tirones ab initio voluptate afficiunt: properare solent: eamque ob caussam animo lubenti per diversa itinera Telemachum Mentoremque peregrinantes sequuntur, sed tædio statim capiuntur, cum eos vident in loco quodam subsistere, & commorari diutius.

Horatius melius, quam omnes alii, consilio nostro respondet. Carmina ejus non sunt prolixa, & Odæ, Satiræ Epistolæque integræ possunt afferri. Sine ullo etiam damno separatim exhiberi

hiberi possunt narratiunculæ scriptis ejus ultimo loco memoratis insertæ. Artem poëticam hic proposuimus universam, quia diligenter ediscenda, & hæc quasi complexio verissimorum de judicio elegantiæ formando præceptorum vix satis publicari posse videtur.

Quod Juvenalem & Persium attinet, pauca tantum ex iis excerpsimus, ut appareret, quicquid in Poësi difficillimum esset: nec dubitamus, quin ex iis discipulus paululum provectior, notis præsertim adjutus, facile se expediturus sit, qui sine interpretis & doctoris ope auctores legere audebit. Hæ notæ, quas extremæ huic parti adjunximus, ex optimis repetitæ sunt interpretibus & commentariis, qui non semper, cum hæremus, ad manus sunt. (*)

Si

(*) Versus Boilavii ad illustrandam Artem Poëticam in editione Parisiensi insertos omisimus, cum brevitatis studio, tum quia nostram aliis magis quam Gallis hominibus inservire cupimus.

Si hæc Sylloge lectoris voto non satisfaciat, iterum tamen testamur, finem huic labori imponentes, eam juvenibus ne minimum quidem periculum esse allaturam. Pensa, sive materia, sive verba spectentur, ab omni reprehensione sunt tuta: imo vero eam laudare possumus sine ulla gloriolæ inde captandæ suspicione, quia nihil profecto nostrum est, præter levia sermonis vincula, uncis insuper a nobis inclusa, quo certius dignosci queant. Quicquid autem sit, si adolescentes plurimos ex optimis auctoribus selectos locos perlegerint, & plerasque latinæ dictionis formas non tam doctrina præceptorum grammaticorum, quam potius usu scriptorum veterum diuturno cognoverint, speramus certissime, fore, ut professores eloquentiæ & poëseos auditoribus suis sic initiatis opera ipsa integra in manus tradere, scholasque rhetoricas & poëticas felici successu habere possint, cum in præsenti Grammaticam modo docere sæpissime proh! coactos se videant.

EX
PHAEDRI FABELLARUM LIBRO PRIMO.

FABULA I.
Lupus & Agnus.

Ad rivum eundem Lupus & Agnus venerant
Siti compulsi. Superior ſtabat Lupus,
Longeque inferior Agnus. Tunc fauce improba
Latro incitatus jurgii cauſam intulit.
Cur, inquit, turbulentam feciſti mihi
Aquam bibenti? Laniger contra timens:
Qui poſſum, quæſo, facere, quod quæreris, Lupe,
A te decurrit ad meos hauſtus liquor.
Repulſus ille veritatis viribus,
Ante hos ſex menſes, ait, maledixiſti mihi.
Reſpondit Agnus: Equidem natus non eram,
Pater hercule tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat injuſta nece.

FABULA III.
Graculus ſuperbus.

Tumens inani Graculus ſuperbia,
Pennas, Pavoni quæ deciderant, ſuſtulit,

Seque exornavit. Deinde contemnens ſuos,
Immiſcuit ſe Pavonum formoſo gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi,
Fugantque roſtris. Male mulctatus Graculus
Redire mœrens cœpit ad proprium genus.
A quo repulſus triſtem ſuſtinuit notam.
Tum quidam ex illis, quos prius deſpexerat:
Contentus noſtris ſi fuiſſes ſedibus,
Et, quod natura dederat, voluiſſes pati,
Nec illam expertus eſſes contumeliam,
Nec hanc repulſam tua ſentiret calamitas.

FABVLA IV.

Canis natans.

Canis per flumen carnem dum ferret natans,
Lympharum in ſpeculo vidit ſimulachrum ſuum:
Aliamque prædam ab altero ferri putans,
Eripere voluit. Verum decepta aviditas,
Et, quem tenebat ore, dimiſit cibum:
Nec, quem petebat, adeo potuit attingere.

FABVLA VIII.

Lupus & Grus.

Os devoratum fauce quum hæreret Lupi,
Magno dolore victus, cœpit ſingulos
Illicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem perſuaſa eſt jurejurando Gruis,
Gulæque credens colli longitudinem,
Periculoſam fecit medicinam Lupo.
Pro quo cum pactum flagitaret præmium:
Ingrata es, inquit, ore quæ noſtro caput
Incolume abſtuleris; & mercedem poſtulas!

FABVLA XII.

Cervus cornibus impeditus.

Ad fontem Cervus, quum bibiſſet, reſtitit,
Et in liquore vidit effigiem ſuam.
Ibi dum ramoſa mirans laudat cornua,
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum ſubito vocibus conterritus,
Per campum fugere cœpit, & curſu levi
Canes eluſit. Sylva tum excepit ferum,
In qua retentis impeditus cornibus
Lacerari cœpit morſibus ſævis canum.
Tunc moriens, vocem hanc edidiſſe dicitur:
O me infelicem! qui nunc demum intelligo,
Vt illa mihi profuerint, quæ deſpexeram,
Et, quæ laudaram, quantum luctus habuerint.

FABVLA XIII.

Vulpes & Corvus.

Quum de feneſtra Corvus raptum caſeum
Comeſſe vellet, celſa reſidens arbore:
Vt vidit Vulpes hunc, ſic cœpit alloqui:
O qui tuarum, Corve, pennarum eſt nitor!
Quantum decoris corpore, & vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille ſtultus, dum volt vocem oſtendere,
Emiſit ore caſeum, quem celeriter
Doloſa Vulpes avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit Corvi deceptus ſtupor.

FABVLA XVIII. vel XIX.

Canis parturiens.

Canis parturiens, quum rogaſſet alteram,
Vt fœtum in ejus tujurio deponeret,

Facile impetravit. Deinde repoſcenti locum,
Preces admovit, tempus exorans breve,
Dum firmiores catulos poſſet ducere.
Hoc quoque conſumpto, flagitare validius
Cubile cœpit. Si mihi & turbæ meæ
Par, inquit, eſſe potueris, cedam loco.

FABULA XX.

Leo ſenio confectus.

Defectus annis & deſertus viribus
Leo quum jaceret, ſpiritum extremum trahens;
Aper fulmineis ad eum venit dentibus,
Et vindicavit ictu veterem injuriam.
Infeſtis Taurus mox confodit cornibus
Hoſtile corpus. Aſinus ut vidit ferum
Impune lædi, calcibus frontem exterit.
At ille expirans: Fortes indigne tuli
Mihi inſultare: Te, naturæ dedecus
Quod ferre cogor, certe bis videor mori.

FABULA XXIII. vel XXIV.

Rana rupta & Bos.

In prato quodam Rana conſpexit Bovem,
Et, tacta invidia tantæ magnitudinis,
Rugoſam inflavit pellem: tum natos ſuos
Interrogavit, an Bove eſſet latior.
Illi negarunt. Rurſus intendit cutem
Majore niſu, & ſimili quæſivit modo,
Quis major eſſet. Illi dixerunt, Bovem.
Noviſſime indignata, dum vult validius
Inflare ſeſe, rupto jacuit corpore.

FABVLA XXV. vel XXVI.

Vulpes & Ciconia.

Vulpes ad cœnam dicitur Ciconiam
Prior invitaſſe, & illi in patina liquidam
Poſuiſſe ſorbitionem, quam nullo modo
Guſtare eſuriens potuerit Ciconia.
Quæ Vulpem quum revocaſſet, intrito cibo
Plenam lagenam poſuit. Huic roſtrum inſerens,
Satiatur ipſa, & torquet convivam fame.
Quæ cum lagenæ fruſtra collum lamberet,
Peregrinam ſic locutam volucrem accepimus:
Sua quiſque exempla debet æquo animo pati.

EX LIBRO SECVNDO.

FABVLA IV.

Aquila, Felis & Aper.

Aquila in ſublimi quercu nidum fecerat.
Felis, cavernam nacta, in media pepererat.
Sus nemori-cultrix fœtum ad imam poſuerat.
Tum fortuitum Felis contubernium
Fraude, & ſceleſta ſic evertit malitia.
Ad nidum ſcandit volucris: Pernicies, ait,
Tibi paratur, forſan & miſeræ mihi.
Nam fodere terram quod vides quotidie
Aprum inſidioſum, quercum vult evertere,
Vt noſtram in plano facere progeniem opprimat.
Terrore offuſo, & perturbatis ſenſibus,
Direpit ad cubile ſetoſæ Suis:
Magno, inquit, in periclo ſunt nati tui;
Nam ſimul exieris paſtum cum tenero grege,

Aquila eſt parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore poſtquam complevit locum,
Doloſa tuto condidit ſeſe cavo.
Inde evagata noctu, ſuſpenſo pede,
Vbi eſca ſe replevit, & prolem ſuam,
Pavorem ſimulans, proſpicit toto die.
Ruinam metuens, Aquila ramis deſidet.
Aper, rapinam vitans, non prodit foras.
Quid multa? inedia ſunt conſumpti cum ſuis,
Feliſque catulis largam præbuerunt dapem.

FABVLA VII.
Muli & Latrones.

Muli gravati ſarcinis ibant duo.
Vnus ferebat fiſcos cum pecunia,
Alter tumentes multo ſaccos hordeo.
Ille onere dives, celſa cervice eminet,
Clarumque collo jactat tintinnabulum.
Comes quieto ſequitur, & placido gradu.
Subito latrones ex inſidiis advolant,
Interque cædem ferro Mulum trucidant,
Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.
Spoliatus igitur caſus cum fleret ſuos,
Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo,
Nam nihil amiſi, nec ſum læſus vulnere.

FABVLA VIII.
Cervus & Boves.

Cervus nemoroſis excitatus latibulis,
Vt venatorum fugeret inſtantem necem,
Cæco timore proximam villam petit,
Et opportuno ſe bovili condidit.

Hic Bos latenti: Quidnam voluisti tibi,
Infelix, ultro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto spiritum commiseris?
At ille supplex: Vos modo, inquit, parcite,
Occasione rursus erumpam data.
Spatium diei noctis excipiunt vices.
Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt.
Eunt subinde, & redeunt omnes rustici;
Nemo animadvertit. Transit etiam villicus;
Nec ille quicquam sentit. Tunc gaudens ferus,
Bobus quietis agere cœpit gratias,
Hospitium adverso quod præstiterint tempore.
Respondit unus: Salvum te cupimus quidem:
Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit,
Magno in periculo vita versatur tua,
Hæc inter, ipse dominus a cœna redit.
Et quia corruptos viderat nuper boves,
Accedit ad præsepe: Cur frondis parum est?
Stramenta desunt. Tollere hæc aranea
Quantum est laboris? Dum scrutatur singula,
Cervi quoque alta est conspicatus cornua,
Quem convocata jubet occidi familia,
Prædamque tollit.

EX LIBRO TERTIO.

FABVLA II.

Panthera & Pastores.

Panthera imprudens olim in foveam decidit.
Videre agrestes. Alii fustes congerunt,
Alii onerant saxis· Quidam contra miseriti,

Perituræ quippe, quamvis nemo læderet,
Misere panem, ut sustineret spiritum.
Nox insecuta est. Abeunt securi domum,
Quasi inventuri mortuam postridie.
At illa vires ut refecit languidas,
Veloci saltu fovea sese liberat,
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpositis, provolat;
Pecus trucidat; ipsos pastores necat;
Et cuncta vastans, sævit, irato impetu.
Tum sibi timentes, qui feræ pepercerant,
Damnum haud recusant, tantum pro vita rogant.
At illa: Memini qui me saxo petierint,
Qui panem dederint: Vos timere absistite:
Illis revertor hostis, qui me læserant.

FABULA IV. vel V.

Aesopus & Petulans.

Aesopo quidam petulans lapidem impegerat:
Tanto, inquit, melior. Assem deinde illi dedit,
Sic prosecutus: Plus non habeo, mehercule,
Sed, unde accipere possis, monstrabo tibi.
Venit ecce dives, & potens: huic similiter
Impinge lapidem, & dignum accipies præmium.
Persuasus ille fecit quod monitus fuit:
Sed spes fefellit impudentem audaciam.
Comprensus namque, pœnas persolvit cruce.

FABULA X. vel XII.

Margarita in Sterquilinio.

In sterquilinio Pullus gallinaceus
Dum quærit escam, margaritam repperit.

Jaces indigno, quanta res, inquit, loco!
Te si quis pretii cupidus vidisset tui,
Olim redisses ad splendorem maximum.
Ego, qui te inveni, potior cui multo est cibus,
Nec tibi prodesse, nec mihi quidquam potes.

FABVLA XI. vel XIII.

Apes & Fuci, Vespa Judice.

Apes in alta quercu fecerant favos.
Hos Fuci inertes esse dicebant suos.
Lis ad forum deducta est, Vespa judice:
Quæ genus utrumque nosset cum pulcherrime,
Legem duabus hanc proposuit partibus:
Non inconveniens corpus, & par est color,
In dubium plane res ut merito venerit:
Sed, ne religio peccet imprudens mea,
Alveos accipite, & ceris opus infundite,
Vt ex sapore mellis, & forma favi,
De queis nunc agitur, auctor horum appareat.
Fuci recusant. Apibus conditio placet.
Tunc illa talem sustulit sententiam:
Apertum est, quis non possit, aut quis fecerit,
Quapropter apibus fructum restituo suum.

FABVLA XV. vel XVII.

Arbores in Deorum Tutela.

Olim quas vellent esse in tutela sua;
Divi legerunt arbores. Quercus Jovi,
Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pinus Cybelæ, populus celsa Herculi.
Minerva admirans, quare steriles sumerent,
Interrogavit. Causam dixit Jupiter:

Honorem fructu ne videamur vendere.
At, mehercule, narrabit quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructum est gratior.
Tunc sic Deorum genitor, atque hominum sator:
O nata, merito sapiens dicere omnibus:
Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria.

FABULA XVI. vel XIX.

Aesopus ad Garrulum.

Aesopus, domino solus cum esset familia,
Parare cœnam jussus est maturius.
Ignem ergo quærens, aliquot lustravit domos;
Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet.
Tum circumeunti fuerat quod iter longius,
Effecit brevius. Namque recta per forum
Cœpit redire: & quidam e turba garrulus:
Aesope, medio sole, quid cum lumine?
Hominem, inquit, quæro, & abiit festinans domum.

EX LIBRO QUARTO.

FABULA I.

Mustela & Mures.

Mustela, quum annis, & senecta debilis,
Mures veloces non valeret assequi,
Involvit se farina; & obscuro loco
Abjecit negligenter. Mus escam putans,
Adsiluit, & compressus, occubuit neci:
Alter similiter: deinde periit tertius.
Aliquot secutis, venit & retorridus,
Qui sæpe laqueos, & muscipulam effugerat,

Proculque insidias cernens hostis callidi,
Sic valeas, inquit, ut farina es, quæ jaces.

FABVLA II.

Vulpes & Vva.

Fame coacta, vulpes alta in vinea
Vvam appetebat, summis saliens viribus:
Quam tangere ut non potuit, discedens, ait:
Nondum matura est, nolo acerbam sumere.

FABVLA VII.

Vipera & Lima.

In officinam fabri venit Vipera.
Hæc cum tentaret, si qua res esset cibi;
Limam momordit. Illa contra contumax:
Quid me, inquit, stulta, dente captas lædere;
Omne adsuevi ferrum quæ conrodere?

FABVLA VIII.

Vulpes & Hircus.

Quum decidisset Vulpes in puteum inscia,
Et altiore clauderetur margine;
Devenit Hircus sitiens in eundem locum,
Simul rogavit, esset an dulcis liquor,
Et copiosus. Illa fraudem moliens:
Descende, amice, tanta bonitas est aquæ,
Voluptas ut satiari non possit mea.
Immisit se barbatus. Tum Vulpecula
Evasit puteo, nixa celsis cornibus;
Hircumque clauso liquit hærentem vado.

FABVLA XV.

Homo & Colubra.

Gelu rigentem quidam Colubram sustulit,
Sinuque fovit, contra se ipse misericors:

Nam-

Namque ut refecta eſt, necuit hominem protinus.
Hanc alia cum rogaret cauſam facinoris,
Reſpondit: Ne quis diſcat prodeſſe improbis.

FABVLA XIX. vel XXII.

Mons parturiens.

Mons parturibat, gemitus immanes ciens;
Eratque in terris maxima expectatio.
At ille murem peperit.

FABVLA XX. vel XXIII.

Formica & Muſca.

Formica & Muſca contendebant acriter,
Quæ pluris eſſet. Muſca ſic cœpit prior:
Conferre noſtris tu potes te laudibus?
Vbi immolatur, exta prægusto Deum:
Moror inter aras; templa perluſtro omnia;
In capite Regis ſedeo, cum viſum eſt mihi:
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor:
Quid horum ſimile tibi contingit, ruſtica?
Eſt glorioſus ſane convictus Deum;
Sed illi, qui invitatur, non qui inviſus eſt;
(*In Regis memoras te ſedere vertice?*)
Ego, granum in hyemem cum ſtudioſe congero,
Te circa murum video paſci ſtercore.
Aras frequentas? nempe abigeris, quo venis.
Nihil laboras? ideo, quum opus eſt, nihil habes.
Superba, jactas, tegere quod debet pudor.
Aeſtate me laceſſis? quum bruma eſt, ſiles.
Mori contractam quum te cogunt frigora,
Me copioſa recipit incolumem domus.
Satis profecto rettudi ſuperbiam.

EX LIBRO QVINTO.

FABVLA III.

Calvus & Musca.

Calvi momordit Musca nudatum caput;
Quam opprimere captans, alapam sibi duxit gravem.
Tunc illa irridens: Punctum volucris parvulæ
Voluisti morte ulcisci: Quid facies tibi,
Injuriæ qui addideris contumeliam?
Respondit: Mecum facile redeo in gratiam;
Quod non fuisse mentem lædendi scio:
Sed te, contempti generis animal improbum,
Quæ delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare, vel majore incommodo.

FABVLA VI.

Duo Calvi.

Invenit Calvus forte in trivio pectinem.
Accessit alter, æque defectus pilis:
Heia, inquit, in commune, quodcumque est lucri.
Ostendit illi prædam, & adjecit simul:
Superum voluntas favit, sed, fato invido,
Carbonem, ut aiunt, pro thesauro invenimus.

FABVLA VIII.

Occasio depicta.

Cursu volucri pendens, in novacula,
Calvus, comosa fronte, nudo corpore,
Quem si occuparis, teneas, elapsum semel
Non ipse possit Jupiter reprehendere,
Occasionem rerum significat brevem.
Effectus impediret ne segnis mora,
Finxere Antiqui talem effigiem temporis.

FABULA IX.

Taurus & Vitulus.

Angusto in aditu Taurus luctans cornibus,
Quum vix intrare posset ad præsepia,
Monstrabat Vitulus, quo se pacto plecteret.
Tace, inquit, ante hoc novi, quam tu natus es.

FABULA X.

Venator & Canis.

Adversus omnes fortis veloces feras
Canis quum domino semper fecisset satis,
Languere cœpit annis ingravantibus.
Aliquando objectus hispidi pugnæ suis,
Adripuit aurem: sed, cariosis dentibus,
Prædam dimisit. Hic tum venator dolens
Canem objurgabat. Cui senex contra latrans:
Non te destituit animus, sed vires meæ.
Quod fuimus, laudas, jam damnas quod sumus.

FABULA XIII. apud Gudium II.

Lepores & Ranæ.

Aliquando in sylvis, strepitu magno conciti,
Lepores clamant, se propter assiduos metus
Finire velle vitam. Sic quendam ad lacum
Venerunt, miseri quo se præcipites darent.
Adventu quorum postquam Ranæ territæ
Virides in algas misere fugientes ruunt:
Heus, inquit unus, sunt & alii, quos timor
Vexat malorum. Ferte vitam ut cæteri.

FABULA XXV. apud Gudium IV.

Leo & Mus.

Leone in sylva dormiente, rustici
Luxuriabant Mures. Vnus ex iis

Super

Super cubantem casu quodam transiit.
Expergefactus miserum Leo celeri impetu
Arripuit. Ille veniam sibi dari, rogat;
Crimen fatetur, peccatum imprudentiæ.
Hoc Rex ulcisci gloriosum non putans,
Ignovit, & dimisit. Post paucos dies
Leo, dum vagatur noctu, in foveam decidit.
Captum ut se agnovit laqueis, voce maxima
Rugire cœpit. Cujus immanem ad sonum
Mus subito accurrens; Non est, quod timeas, ait,
Beneficio magno gratiam reddam parem.
Mox omnes artus, artuum & ligamina
Lustrare cœpit, cognitosque dentibus
Nervos rodendo, laxat ingenia artuum.
Sic captum Mus Leonem sylvis reddidit.

Finis excerptorum ex Phædri Fabellis.

* *

EX P. OVIDII NASONIS METAMORPHOSIVM LIBRO PRIMO.

FABVLA PRIMA.

Ante mare & terras, & quod tegit omnia cœlum,
Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis, indigestaque moles,
Nec quicquam, nisi pondus iners, congestaque eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum.

Nullus

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan,
Nec nova crescendo reparabat cornua Phœbe:
Nec circumfuso pendebat in aëre Tellus
Ponderibus librata suis, nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Quaque erat & tellus, illic & pontus & aër.
Sic erat instabilis tellus, innabilis unda,
Lucis egens aër: nulli sua forma manebat,
Obstabatque aliis aliud: quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.
Hanc Deus & melior litem natura diremit.
Nam cœlo terras, & terris abscidit undas,
Et liquidum spisso secrevit ab æthere cœlum.
Quæ postquàm evolvit, cœcoque exemit acervo.
Dissociata locis concordi pace ligavit.
Ignea convexi vis & sine pondere cœli
Emicuit, summaque locum sibi legit in arce.
Proximus est aër illi levitate, locoque.
Densior his tellus, elementaque grandia traxit,
Et pressa est gravitate sui; circumfluus humor
Vltima possedit, solidumque coërcuit orbem.

Ibid. *FABVLA II.*

Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille deorum,
Congeriem secuit, sectamque in membra redegit:
Principio terram, ne non æqualis ab omni
Parte foret, magni speciem glomeravit in orbis.
Tum freta diffudit, rapidisque tumescere ventis
Jussit, & ambitæ circumdare littora terræ.
Addidit & fontes, & stagna immensa, lacusque,

Flu-

Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis:
Quæ diverſa locis partim ſorbentur ab ipſa,
In mare perveniunt partim, campoque recepta
Liberioris aquæ, pro ripis littora pulſant.
Juſſit & extendi campos, ſubſidere valles,
Fronde tegi ſylvas, lapidoſos ſurgere montes.
Vtque duæ dextra cœlum totidemque ſiniſtra
Parte ſecant zonæ, quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura Dei, totidemque plagæ tellure premuntur:
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu:
Nix tegit alta duas, totidem inter utramque locavit,
Temperiemque dedit mixta cum frigore flamma.
Imminet his aër, qui quanto eſt pondere terræ,
Pondere aquæ levior, tanto eſt oneroſior igne.
Illic & nebulas, illic conſiſtere nubes
Juſſit, & humanas motura tonitrua mentes,
Et cum fulminibus facientes frigora ventos.
His quoque non paſſim mundi fabricator habendum
Aëra permiſit: vix nunc obſiſtitur illis,
Cum ſua quiſque regat diverſo flamina tractu,
Quin lanient mundum, tanta eſt diſcordia fratrum.
Eurus ad auroram, Nabathæaque regna receſſit,
Perſidaque, & radiis juga ſubdita matutinis.
Veſper & occiduo quæ littora ſole tepeſcunt,
Proxima ſunt zephyro: Scythiam ſeptemquetriones
Horrifer invaſit Boreas: contraria tellus
Nubibus aſſiduis, pluvioque madeſcit ab Auſtro.
Hæc ſuper impoſuit liquidum, & gravitate carentem
Aethera, nec quicquam terrenæ fœcis habentem.
Vix ita limitibus diſcreverat omnia certis,

Cum, quæ pressa diu massa latuere sub ipsa,
Sidera cœperunt toto fulgescere cœlo.
Neu regio foret ulla suis animalibus orba,
Astra tenent cœleste solum formæque deorum:
Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ.
Terra feras cœpit, volucres agitabilis aër.
Sanctius his animal, mentisque capacius altæ,
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset:
Natus homo est, sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto
Aethere, cognati retinebat semina cœli:
Quam satus Iapeto mistam fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantûm cuncta deorum.
Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumque videre
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.
Sic, modo quæ fuerat rudis, & sine imagine tellus,
Induit ignotas hominum conversa figuras.

Ibid. FABVLA VI.

Affectasse ferunt regnum cœleste gigantes,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.
Tum Pater omnipotens misso perfregit Olympum
Fulmine, & excussit subjectum Pelion Ossæ.
Obruta mole sua cum corpora dira jacerent,
Perfusam multo natorum sanguine terram
Immaduisse ferunt, calidumque animasse cruorem:
Et ne nulla suæ stirpis monimenta manerent,
In faciem vertisse hominum. Sed & illa propago
Con-

Contemptrix Superum, ſuæque avidiſſima cædis,
Et violenta fuit; ſcires e ſanguine natam.

Ibid. FABVLA IX.

Quæ pater ut ſumma vidit Saturnius arce,
Ingemuit; placuitque genus mortale ſub undis
Perdere, & ex omni nimbos demittere cœlo.
Protinus Aeoliis Aquilonem claudit in antris,
Et quæcumque fugant inductas flamina nubes,
Emittitque Notum: madidis Notus evolat alis,
Terribilem picea tectus caligine vultum.
Barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis.
Fronte ſedent nebulæ, rorant pennæque ſinuſque;
Vtque manu late pendentia nubila preſſit,
Fit fragor, & denſi funduntur ab Aethere nimbi.
Nuntia Junonis varios induta colores
Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert.
Sternuntur ſegetes, & deplorata colonis
Vota jacent, longique perit labor irritus anni.
Nec cœlo contenta ſuo eſt Jovis ira, ſed illum
Cæruleus frater juvat auxiliaribus undis.
Convocat hic amnes: qui poſtquam tecta Tyranni
Intravere ſui, non eſt hortamine longo
Nunc, ait, utendum: vires effundite veſtras:
Sic opus eſt, aperite domos, ac mole remota
Fluminibus veſtris totas immittite habenas.
Juſſerat, hi redeunt, ac fontibus ora relaxant,
Et defrenato volvuntur in æquore curſu.
Ipſe tridente ſuo terram percuſſit: at illa
Intremuit, motuque vias patefecit aquarum.
Exſpatiata ruunt per apertos flumina campos,

Cumque satis arbusta simul, pecudesque, virosque,
Tectaque, cumque suis rapiunt penetralia sacris.
Si qua domus mansit, potuitque resistere tanto
Indejecta malo, culmen tamen altior hujus
Vnda tegit, pressæque latent sub jurgite turres.
Jamque mare, & tellus nullum discrimen habebant;
Omnia pontus erat; deerant quoque littora ponto.
Occupat hic collem; cymba sedet alter adunca,
Et ducit remos illic, ubi nuper ararat;
Ille super segetes, aut mersæ culmina villæ
Navigat: hic summa piscem deprendit in ulmo:
Figitur in viridi (sic sors tulit) anchora prato:
Aut subjecta tegunt curvæ vineta carinæ:
Et modo qua graciles gramen carpsere capellæ,
Nunc ibi deformes ponunt sua corpora phocæ:
Mirantur sub aqua lucos, urbesque, domosque,
Nereïdes: sylvasque tenent delphines, & altis
Incursant ramis, agitataque robora pulsant:
Nat lupus inter oves: fulvos vehit unda leones:
Vnda vehit tigres, nec vires fulminis apro,
Crura nec ablato prosunt velocia cervo.
Quæsitisque diu terris ubi sistere possit,
In mare lassatis volucris vaga decidit alis.
Obruerat tumulos immensa licentia ponti:
Pulsabantque novi montana cacumina fluctus:
Maxima pars unda rapitur: quibus unda pepercit,
Illos longa domant inopi jejunia victu.

Ibid. FABVLA XII.

Ergo ubi diluvio tellus lutulenta recenti,
Solibus æthereis, altoque recanduit æstu,

Edidit innumeras ſpecies, partimque figuras
Reddidit antiquas, partim nova monſtra creavit.
Illa quidem nollet, ſed tum quoque, maxime Python,
Te genuit: populiſque novis, incognite ſerpens,
Terror eras, tantum ſpatii de monte tenebas.
Hunc Deus arcitenens, & nunquam talibus armis
Ante, niſi in damis, capreiſque fugacibus, uſus,
Mille gravem telis exhauſta pene pharetra,
Perdidit effuſo per vulnera nigra veneno.
Neve operis famam poſſet delere vetuſtas,
Inſtituit ſacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomiti ſerpentis nomine dictos.
Hic juvenum quicumque manu, pedibuſque, rotave
Vicerat, eſculeæ capiebat frondis honorem:
Nondum laurus erat: longoque decentia crine
Tempora cingebat de qualibet arbore Phœbus.

EX LIBRO SECVNDO.

FABVLA PRIMA.

Regia Solis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammaſque imitante pyropo:
Cujus ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat.
Argenti bifores radiabant lumine valvæ.
Materiam ſuperabat opus; nam Mulciber illic
Aequora cælarat medias cingentia terras,
Terrarumque orbem, cœlumque quod imminet orbi.
Cæruleos habet unda deos, Tritona canorum,
Proteaque ambiguum, balænarumque prementem
Aegæona ſuis immania terga lacertis,

Doridaque & natas; quarum pars nare videtur,
Pars in mole ſedens virides ſiccare capillos,
Piſce vehi quædam: facies non omnibus una,
Nec diverſa tamen, qualem decet eſſe ſororum.
Terra viros, urbeſque gerit, ſylvaſque feraſque,
Fluminaque, & nymphas, & cætera numina ruris.
Hæc ſuper impoſita eſt cœli fulgentis imago,
Signaque ſex foribus dextris, totidemque ſiniſtris.
Quo ſimul acclivo Clymeneia limite proles,
Venit & intravit (ſplendentis) tecta parentis,
Protinus ad patrios ſua fert veſtigia vultus,
Conſiſtitque procul: neque enim propiora ferebat
Lumina: purpurea velatus veſte ſedebat
In ſolio Phœbus claris lucente ſmaragdis.
A dextra lævaque dies, & menſis, & annus,
Sæculaque, & poſitæ ſpatiis æqualibus horæ,
Verque novum ſtabat cinctum florente corona:
Stabat nuda æſtas, & ſpicea ſerta gerebat:
Stabat & autumnus calcatis ſordidus uvis,
Et glacialis hyems canos hirſuta capillos.
Inde loco medius rerum novitate paventem
Sol oculis juvenem, quibus aſpicit omnia, vidit:
Quæque viæ tibi cauſa? quid hac, ait, arce petiſti,
Progenies Phaethon haud inficianda parenti?
Ille refert, o lux immenſi publica mundi
Phæbe pater, ſi das uſum mihi nominis hujus,
Pignora da genitor, per quæ tua vera propago
Credar, & hunc animis errorem detrahe noſtris.
Dixerat. At genitor circum caput omne micantes
Depoſuit radios, propiuſque accedere juſſit:
Amplexuque dato, Nec tu meus eſſe negari

Dignus

Dignus es, & Clymene veros, ait, edidit ortus.
Quoque minus dubites, quod vis pete munus, & illud
Me tribuente feres: promiſſis teſtis adeſto
Dîs juranda palus, oculis incognita noſtris.
Vix bene deſierat: currus petit ille paternos,
Inque diem alipedum jus & moderamen equorum.
Pœnituit juraſſe patrem: qui terque quaterque
Concutiens illuſtre caput; temeraria, dixit,
Vox mea facta tua eſt, utinam promiſſa liceret
Non dare! confiteor, ſolum hoc tibi, nate, negarem.
Diſſuadere licet, non eſt tua tuta voluntas:
Magna petis, Phaëthon, & quæ non viribus iſtis
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis:
Sors tua mortalis, non eſt mortale quod optas.
Nate, cave, dum reſque ſinit, tua corrige vota:
Deprecor hoc unum: quod vero nomine pœna,
Non honor eſt: pœnam, Phaëthon, pro munere poſcis.
Quid mea colla tenes blandis, ignare, lacertis?
Ne dubita; dabitur, ſtygias juravimus undas,
Quodcumque optaris: ſed tu ſapientius opta.
Finierat monitus: dictis tamen ille repugnat,
Propoſitumque premit, flagratque cupidine currus.
Ergo qua licuit genitor cunctatus, ad altos
Deducit juvenem, Vulcania munera, currus.
Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſummæ
Curvatura rotæ, radiorum argenteus ordo.
Per juga chryſoliti, poſitæque ex ordine gemmæ,
Clara repercuſſo reddebant lumina Phœbo.
Dumque ea magnanimus Phaëton miratur, opuſque
Perſpicit: ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores, & plena roſarum

Atria: diffugiunt ſtellæ, quarum agmina cogit
Lucifer, & cœli ſtatione noviſſimus exit.
Tum pater ut terras, mundumque rubeſcere vidit;
Cornuaque extremæ velut evaneſcere Lunæ,
Jungere equos Titan velocibus imperat Horis.
Juſſa Deæ celeres peragunt, ignemque vomentes
Ambroſiæ ſucco ſaturos præſepibus altis
Quadrupedes ducunt, adduntque ſonantia fræna.
Tum pater ora ſui ſacro medicamine nati
Contigit, & rapidæ fecit patientia flammæ:
Impoſuitque comæ radios: præſagaque luctus
Pectore ſollicito repetens ſuſpiria, dixit:
Si potes his ſaltem monitis parere parentis,
Parce, puer, ſtimulis, & fortius utere loris:
Sponte ſua properant: labor eſt inhibere volantes:
Dum loquor heſperio poſitas in littore metas
Humida nox tetigit: non eſt mora libera nobis:
Poſcimur, & fulget tenebris aurora fugatis.
Corripe lora manu, vel, ſi mutabile pectus
Eſt tibi, conſiliis, non curribus, utere noſtris.
Dum potes, & ſolidis etiam nunc ſedibus aſtas,
Dumque male optatos nondum premis inſcius axes,
Quæ tutus ſpectes, ſine me dare lumina terris.
Occupat ille levem juvenili corpore currum,
Statque ſuper, manibuſque datas contingere habenas
Gaudet, & invito grates agit inde parenti.

Ibid. FABULA II.

Interea volucres Pyroeis, Eous, & Aethon,
Solis equi, quartuſque Phlegon hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibuſque repagula pulſant;

Quæ poſtquam Tethys fatorum ignara nepotis
Reppulit, & facta eſt immenſi copia cœli,
Corripuere viam, pedibuſque per aëra motis
Obſtantes ſcindunt nebulas, penniſque levati
Prætereunt ortos îſdem de partibus Euros.
Sed leve pondus erat, nec quod cognoſcere poſſent
Solis equi, ſolitaque jugum gravitate carebat.
Vtque labant curvæ juſto ſine pondere naves,
Perque mare inſtabiles nimia levitate feruntur;
Sic onere inſueto vacuos dat in aëre ſaltus,
Succutiturque alte, ſimiliſque eſt currus inani.
Quod ſimul ac ſenſere, ruunt, tritumque relinquunt
Quadrijuges ſpatium, nec, quo prius, ordine currunt.
Ipſe pavet, nec qua commiſſas flectat habenas,
Nec ſcit qua ſit iter, nec, ſi ſciat, imperet illis.
Vt vero terras deſpexit ab æthere ſummo
Infelix Phaëton penitus, penituſque jacentes,
Palluit, & ſubito genua intremuere timore;
Suntque oculis tenebræ per tantum lumen obortæ,
Et jam mallet equos nunquam tetigiſſe paternos;
Jam cognoſſe genus piget, & valuiſſe rogando.
Quid faciat? multum cœli poſt terga relictum:
Ante oculos plus eſt: animo metitur utrumque:
Et modo quos illi fas tum contingere non eſt,
Proſpicit occaſus, interdum reſpicit ortus.
Quidque agat ignarus, ſtupet: & nec fræna remittit,
Nec retinere valet, nec nomina novit equorum.
Sparſa quoque in vario paſſim miracula cœlo
Vaſtarumque videt trepidus ſimulachra ferarum.
Eſt locus in geminos ubi brachia concavat arcus
Scorpius, & cauda flexiſque utrimque lacertis,

Porrigit in ſpatium ſignorum membra duorum,
Hunc puer ut nigri madidum ſudore veneni
Vulnera curvata minitantem cuſpide vidit,
Mentis inops, gelida formidine lora remiſit:
Quæ poſtquam ſummo ſenſere jacentia tergo,
Exſpatiantur equi, nulloque inhibente per auras
Ignotæ regionis eunt; quaque impetus egit,
Hac ſine lege ruunt; althoque ſub æthere fixis
Incurſant ſtellis, rapiuntque per avia currum:
Et modo ſumma petunt, modo per declive, viaſque
Præcipites, ſpatio terræ propiore feruntur:
Inferiuſque ſuis fraternos currere Luna
Admiratur equos, combuſtaque nubila fumant.
Corripitur flammis ut quæque altiſſima tellus.
Fiſſaque agit rimas, & ſuccis aret ademptis:
Pabula caneſcunt, cum frondibus uritur arbor,
Materiamque ſuo præbet ſeges arida damno.
Parva queror, magnæ pereunt cum mœnibus urbes,
Cumque ſuis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt, ſylvæ cum montibus ardent.
Ardet Athos, Tauruſque Cilix, & Tmolus, & Oete:
Ardet in immenſum geminatis ignibus Aetna.
Tunc vero Phaëton cunctis e partibus orbem
Aſpicit accenſum, nec tantos ſuſtinet æſtus:
Et neque jam cineres ejectatamque favillam
Ferre poteſt, calidoque involvitur undique fumo.
Quoque eat, aut ubi ſit, picea caligine tectus
Neſcit, & arbitrio volucrum raptatur equorum.

Ibid. FABVLA III.

At Pater omnipotens Superos teſtatur & ipſum,
Qui dederat currus, niſi opem ferat, omnia fato

Interi-

Interitura gravi, ſummam petit arduus arcem,
Vnde ſolet nubes latis inducere terris,
Vnde movet tonitrus, vibrataque fulmina jactat.
Sed neque quas poſſet terris inducere, nubes
Tunc habuit, nec quos cœlo demitteret imbres.
Inſonat, & dextra libratum fulmen ab aure
Miſit in aurigam, pariterque animaque rotiſque
Exuit, & ſævis compeſcuit ignibus ignes.
Conſternuntur equi, & ſaltu in contraria facto
Colla jugo eripiunt, abruptaque lora relinquunt.
Iſtic fræna jacent, illic temone revulſus
Axis, in hac radii fractarum parte rotarum:
Sparſaque ſunt late laceri veſtigia currus.
At Phaëton rutilos flamma populante capillos,
Volvitur in præceps, longoque per aëra tractu
Fertur; ut interdum de cœlo ſtella ſereno,
Etſi non cecidit, potuit cecidiſſe videri.
Quem procul a patria diverſo maximus orbe
Excipit Eridanus, fumantiaque abluit ora.

Ibid. FABVLA IV.

Naïades Heſperiæ trifida fumantia flamma
Corpora dant tumulo, ſignant quoque carmine ſaxum.
„Hic ſitus eſt Phaëthon currus auriga paterni,
„Quem ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis.
At pater obductos luctu miſerabilis ægro
Condiderat vultus: &, ſi modo credimus, unum
Iſſe diem ſine Sole ferunt: incendia lumen
Præbebant: aliquiſque malo fuit uſus in illo.

Ibid. FABVLA XV.

Viderat Aglauros flavæ ſecreta Minervæ.
Vertit ad hanc torvi Dea bellica luminis orbes.

Proti-

Protinus Invidiæ nigro ſquallentia dabo
Tecta petit. Domus eſt imis in vallibus hujus
Abdita, Sole carens, non ulli pervia vento,
Triſtis, & ignavi pleniſſima frigoris, & quæ
Igne vacet ſemper, caligine ſemper abundet.
Huc ubi pervenit bello metuenda virago,
Conſtitit ante domum, neque enim ſuccedere tectis
Fas habet, & poſtes extrema cuſpide pulſat,
Concuſſæ patuere fores: videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta ſuorum,
Invidiam, viſaque oculos avertit. At illa
Surgit humo pigre, ſemeſarumque relinquit
Corpora ſerpentum, paſſuque incedit inerti.
Vtque deam vidit, formaque, armiſque decoram,
Ingemuit, vultumque ima ad ſuſpiria duxit.
Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto:
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes:
Pectora felle virent: lingua eſt ſuffuſa veneno.
Riſus abeſt, niſi quem viſi movere dolores:
Nec fruitur ſomno vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo,
Succeſſus hominum, carpitque, & carpitur una,
Suppliciumque ſuum eſt. Quamvis tamen oderat illam,
Talibus affata eſt breviter Tritonia dictis:
Infice tabe tua natarum Cecropis unam:
Sic opus eſt. Aglauros ea eſt. Haud plura locuta.
Fugit & impreſſa tellurem reppulit haſta.
Illa deam obliquo fugientem lumine cernens,
Murmura parva dedit, ſucceſſorumque Minervæ
Indoluit: baculumque capit, quem ſpinea tortum
Vincula cingebant; adopertaque nubibus atris

Quacunque ingreditur, florentia proterit arva,
Exuritque herbas, & summa papavera carpit:
Afflatuque suo populos, urbesque, domosque
Polluit, & tandem Tritonida conspicit arcem,
Ingeniisque, opibusque, & festa pace nitentem:
Vixque tenet lacrymas, quia nil lacrymabile cernit:
Sed postquam thalamos intravit Cecrope natæ,
Jussa facit, pectusque manu ferrugine tincta
Tangit, & hamatis præcordia sentibus implet,
Inspiratque nocens virus, piceumque per ossa
Dissipat, & medio spargit pulmone venenum.
(Mœrore) Aglauros mordetur: & anxia nocte,
Anxia luce gemit, lentaque miserrima tabe
Liquitur, ut glacies incerto saucia sole,
Labitur, & pallent amisso sanguine venæ.

EX LIBRO QVARTO.

FABVLA XIII.

Narrat Agenorides gelido sub Atlante jacentem
Esse locum solidæ tutum munimine molis,
Cujus in introitu geminas habitasse sorores
Phorcydas, unius sortitas luminis usum:
Id se solerti furtim, dum traditur, astu
Supposita cepisse manu: perque abdita longe
Deviaque, & sylvis horrentia saxa fragosis
Gorgoneas tetigisse domos: passimque per agros,
Perque vias vidisse hominum & simulachra, ferarum
In Silicem ex ipsis visa conversa Medusa.
Se tamen horrendæ, clypei, quem læva gerebat,
Aere repercusso formam aspexisse Medusæ:

Dum-

Dumque gravis ſomnus colubroſque, ipſamque tenebat
Eripuiſſe caput collo: penniſque fugacem
Pegaſon & (fontem) matris de ſanguine natos.

EX LIBRO VNDECIMO.

FABVLA III.

Threïciam Bacchus linquens, vineta Timoli,
Pactolonque petit, quamvis non aureus illo
Tempore, nec caris erat invidioſus arenis.
Hunc aſſueta cohors Satyri, Bacchæque frequentant.
At Silenus abeſt. Titubantem anniſque, meroque,
Ruricolæ cepere Phryges, vinctumque coronis
Ad regem duxere Midam: cui Thracius Orpheus
Orgia tradiderat cum Cecropio Eumolpo.
Qui ſimul agnovit ſocium comitemque ſacrorum,
Hoſpitis adventu feſtum penialiter egit
Per bis quinque dies, & junctas ordine noctes.
Et jam ſtellarum ſublime coëgerat agmen
Lucifer undecimus, Lydos cum lætus in agros
Rex venit, & juveni Silenum reddit alumno.
Huic Deus optanti gratum ſed inutile fecit
Muneris arbitrium gaudens altore recepto.
Ille male uſurus donis, ait: Effice, quidquid
Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.
Annuit optatis, nocituraque munera ſolvit
Liber, & indoluit quod non meliora petiſſet.
Lætus abit, gaudetque malo Berecynthius heros,
Pollicitique fidem tangendo ſingula tentat.
Vixque ſibi credens, non alta fronde virentem
Ilice detraxit virgam, virga aurea facta eſt.
Tollit humo ſaxum, ſaxum quoque palluit auro.

Con-

Contigit & glebam, contactu gleba potenti
Maſſa fit: arentes Cereris decerpſit ariſtas,
Aurea meſſis erat: demptum tenet arbore pomum,
Heſperidas donaſſe putes: ſi poſtibus altis
Admovit digitos, poſtes radiare videntur:
Ille etiam liquidis palmas ubi laverat undis,
Vnda fluens palmis Danaën eludere poſſit.
Vix ſpes ipſe ſuas animo capit, aurea fingens
Omnia: gaudenti menſas poſuere miniſtri
Extructas dapibus, nec toſtæ frugis egentes;
Tum verò, ſive illa ſua cerealia dextra
Munera contigerat, cerealia dona rigebant;
Sive dapes avido convellere dente parabat,
Lamina fulva dapes, admoto dente, premebat.
Miſcuerat puris auctorem muneris undis,
Fuſile per rictus aurum fluitare videres.
   Attonitus novitare mali diveſque, miſerque
Effugere optat opes, & quæ modo voverat, odit.
Copia nulla famem relevat: ſitis arida guttur
Vrit, & inviſo merito torquetur ab auro.
Ad cœlumque manus, & ſplendida brachia tollens,
Da veniam, Lenææ pater, peccavimus, inquit:
Sed miſerere, prècor, ſpecioſoque eripe damno.
Mite Deum numen: Bacchus peccaſſe fatentem
Reſtituit factique fide data munera ſolvit.
Neve male optato maneat circumlitus auro,
Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem,
Perque jugum ripæ labentibus obvius undis
Carpe viam, donec venias ad fluminis ortus:
Spumigeroque tuum fonti, qua plurimus exit,
Subde caput, corpuſque ſimul: ſimul elue crimen.

Rex

Rex jussæ succedit aquæ: vis aurea tinxit
Flumen, & humano de corpore cessit in amnem.
Nunc quoque jam veteris percepto semine venæ
Arva rigent, auro madidis pallentia glebis.
Ille perosus opes, sylvas & rura colebat,
Panaque montanis habitantem semper in antris.
Pingue se ingenium mansit, nocituraque ut ante,
Rursus erant domino stolidæ præcordia mentis.
Nam freta prospiciens late riget arduus alto
Tmolus in ascensu, clivoque extensus utroque
Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypæpis.
Pan ibi dum teneris jactat sua carmina Nymphis,
Et leve cerata modulatur arundine carmen,
Ausus Apollineos præ se contemnere cantus;
Judice sub Tmolo certamen venit ad impar.
Monte suo senior Judex consedit, & aures
Liberat arboribus. Quercu coma cærula tantum
Cingitur, & pendent circum cava tempora glandes.
Isque Deum pecoris spectans, in Judice, dixit,
Nulla mora est. Calamis agrestibus insonat ille,
Barbaricoque Midan, aderat nam forte canenti,
Carmine deliniit. Post hunc sacer ora resolvit
Tmolus ad os Phœbi: vultum sua sylva secuta est.
Ille caput flavum lauro parnasside vinctus,
Verrit humum Tyrio saturata murice palla,
Distinctamque lyram gemmis & dentibus Indis
Sustinet a læva: tenuit manus altera plectrum.
Artificis status iste fuit. Tum stamina docto
Pollice sollicitat: quorum dulcedine captus
Pana jubet Tmolus citharæ submittere cannas.
Judicium, sanctique placet sententia montis

Omni-

Omnibus; arguitur tamen, atque injuſta vocatur
Vnius ſermone Midæ: nec Delius aures
Humanam ſtolidas patitur retinere figuram:
Sed trahit in ſpatium, villiſque albentibus implet,
Inſtabileſque illas facit, & dat poſſe moveri.
Cætera ſunt hominis: partem damnatur in unam,
Induiturque aures lente gradientis aſelli.
Ille quidem celare cupit, turpique pudore
Tempora purpureis tentat velare tiaris:
Sed ſolitus longos ferro reſecare capillos
Viderat hoc famulus: qui cum nec prodere viſum
Dedecus auderet, cupiens efferre ſub auras,
Nec poſſet reticere tamen, ſecedit; humumque
Effodit, & domini quales conſpexerit aures
Voce refert parva, terræque immurmurat hauſtæ,
Indiciumque ſuæ vocis tellure regeſta
Obruit, & ſcrobibus tacitus diſcedit opertis.
Creber arundinibus tremulis ibi ſurgere lucus
Cœpit, & ut primum pleno maturuit anno,
Prodidit agricolam: leni nam motus ab auſtro
Obruta verba refert, dominique coarguit aures.

Ibid. FABVLA X. & XI.

Anxia prodigiis turbatus pectora Ceÿx
Conſulat ut ſacras, hominum oblectamina, ſortes,
(Per mare carpit iter. Subita) vertigine Pontus
Fervet, (&, in curſu, nimio jam pondere navis)
Præcipitata ruit, Ceÿcemque obruit unda.
(Interea) Halcyone ſuperis pia thura ferebat:
Ante tamen cunctos Junonis templa colebat:
Proque viro, qui nullus erat, veniebat ad aras.

Vtque foret ſoſpes conjux ſuus, utque rediret
Optabat; nullamque ſibi præferret. At illi
Hoc de tot votis poterat contingere ſolum.
At Dea non ultra pro functo morte rogari
Suſtinet: utque manus funeſtas arceat aris,
Iri, meæ, dixit, fidiſſima nuntia vocis,
Viſe ſoporiferam ſomni velociter aulam,
Extinctique jube Cëycis imagine mittat
Somnia ad Halcyonem veros narrantia caſus.
Dixerat; induitur velamina mille colorum
Iris, & arcuato cœlum curvamine ſignans
Tecta petit juſſi ſub nube latentia regis.
Eſt prope Cimmerios longo ſpelunca receſſu
Mons cavus, ignavi domus & penetralia Somni;
Quo nunquam radiis oriens, mediuſve, cadenſve
Phœbus adire poteſt; nebulæ caligine mixtæ
Exhalantur humo, dubiæque crepuſcula lucis.
Non vigil ales ibi criſtati cantibus oris
Evocat auroram, nec voce ſilentia rumpunt
Sollicitive canes, canibuſve ſagacior anſer.
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanæve ſonum reddunt convicia linguæ.
Muta quies habitat. Saxo tamen exit ab imo
Rivus aquæ Lethes: per quem cum murmure labens
Invitat ſomnos crepitantibus unda lapillis.
Ante fores antri fœcunda papavera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte ſoporem
Nox legit, & ſpargit per opacas humida terras.
Janua, ne verſo ſtridorem cardine reddat,
Nulla domo tota eſt, cuſtos in limine nullus:
At medio torus eſt ebeno ſublimis in antro

Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipſe Deus, membris languore ſolutis:
Hunc circa paſſim varias imitantia formas
Somnia vana jacent totidem, quot meſſis ariſtas,
Sylva gerit frontes, ejectas littus arenas.
Quo ſimul intravit, manibuſque obſtantia virgo
Somnia dimovit, veſtis fulgore reluxit
Sacra domus: tardaque Deus gravitate jacentes
Vix oculos tollens, iterumque iterumque relabens,
Summaque percutiens nutanti pectora mento,
Excuſſit tandem ſibi ſe, cubitoque levatus,
Quid veniat, cognovit enim, ſcitatur. At illa,
Somne, quies rerum, placidiſſime Somne Deorum,
Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris
Feſſa miniſteriis mulces, reparaſque labori,
Somnia quæ veras æquant imitamine formas,
Herculeam Trachina jube ſub imagine regis,
Halcyonen adeant, ſimulachraque naufraga fingant.
Imperat hoc Juno. Poſtquam mandata peregit,
Iris abit: neque enim ulterius tolerare ſoporis
Vim poterat: labique ut ſomnum ſenſit in artus,
Effugit, & remeat, per quos modo venerat arcus.
At pater e populo natorum mille ſuorum
Excitat artificem, ſimulatoremque figuræ
Morphea. Non illo juſſos ſolertius alter
Exprimit inceſſus, vultumque, ſonumque loquendi;
Adjicit & veſtes, & conſuetiſſima cuique
Verba; ſed hic ſolos homines imitatur: at alter
Fit fera, fit volucris, fit longo corpore ſerpens.
Hunc Icelon Superi, mortale Phobetora vulgus
Nominat. Eſt etiam diverſæ tertius artis

Phantaſos. Ille in humum, ſaxumque, undamque, trabemque,
Quæque vacant anima, fallaciter omnia tranſit,
Regibus hi, ducibuſque ſuos oſtendere vultus
Nocte ſolent: populos alii plebemque pererrant,
Præterit hos ſenior, cunctiſque e fratribus unum
Morphea, qui peragat Thaumantidos edita, ſomnus
Eligit: & rurſus molli languore ſolutus,
Depoſuitque caput, ſtratoque recondidit alto.
Ille volat; nullos ſtrepitus facientibus alis
Per tenebras, intraque moræ breve tempus in urbem
Pervenit Aemoniam: poſitiſque e corpore pennis
In faciem Ceycis abit: formaque ſub illa
Luridus, exangui ſimilis cum veſtibus udis.
Conjugis ante torum miſeræ ſtetit. Vda videtur
Barba viri, madidiſque gravis fluere unda capillis.
Tum (propter lectum) fletu ſuper ora refuſo,
Hæc ait: Agnoſcis Ceyca, miſerrima conjux?
An mea mutata eſt facies nece? reſpice: noſces:
Invenieſque tuo pro conjuge conjugis umbram.
Nil opis, Halcyone, nobis tua vota tulerunt.
Occidimus. Falſo tibi me promittere noli:
Nubilus Aegeo deprendit in æquore navim
Auſter, & ingenti jactatam flamine ſolvit:
Oraque noſtra, tuum fruſtra clamantia nomen,
Implerunt fluctus. Non hæc tibi nuntiat auctor
Ambiguus: non iſta vagis rumoribus audis.
Ipſe ego fata tibi præſens mea naufragus edo.
Surge age: da lacrymas: lugubriaque indue, nec me
Indeploratum ſub inania tartara mitte.
Adjicit his vocem Morpheus; quam conjugis illa

Cre-

Crederet eſſe ſui. Fletus quoque fundere veros
Viſus erat: geſtumque manus Ceycis habebant.
Ingemit Halcyone lacrymans, motatque lacertos
Per ſomnum: corpuſque petens, amplectitur auras,
Exclamatque, Mane, quo te rapis? ibimus una.
Voce ſui, ſpecieque viri turbata, ſoporem
Excutit: & primo ſi ſit circumſpicit illic,
Qui modo viſus erat. Nam moti voce miniſtri
Intulerant lumen: poſtquam non invenit uſquam,
Percutit ora manu: laniatque a pectore veſtes,
Pectoraque ipſa ferit, nec crines ſolvere curans
Scindit: & altrici, quæ luctus cauſa roganti,
Nulla eſt Halcyone, nulla eſt, ait: occidit una
Cum Cëyce ſuo, ſolantia tollite verba.
Naufragus interiit. Vidi, agnovique, manuſque
Ad diſcedentem, cupiens retinere, tetendi.
Vmbra fugit: ſed & umbra tamen manifeſta, virique
Vera mei. Non ille quidem, ſi quæris, habebat
Adſuetos vultus; nec quo prius ore nitebat.
Pallentem (propter me) & adhuc humente capillo
Infelix vidi. Stetit hoc miſerabilis ipſo
Ecce loco: & quærit veſtigia ſi qua ſuperſint.
Mane erat: egreditur tectis ad littus: & illum
Mœſta locum repetit, de quo ſpectarat euntem.
Proſpicit, in liquida, ſpatio diſtante, tuetur
Neſcio quid, quaſi corpus, aqua: primoque quid illud
Eſſet, erat dubium, poſtquam paulo adpulit unda;
Et quamvis aberat, corpus tamen eſſe liquebat;
Quis foret ignorans, quia naufragus, omine mota eſt.
Et tanquam ignoto lacrymam daret, Heu miſer, inquit,

Quiſquis es, & ſi qua eſt conjux tibi! fluctibus actum
Fit propius corpus. Quod quo magis illa tuetur,
Hoc minus,& minus eſt mentis, jamjamque propinquat
Admotum terræ, jam quod cognoſcere poſſet
Cernit: erat conjux. Ille eſt, ait. Adjacet undis
Facta manu moles, quæ primas æquoris iras
Frangit; & incurſus quæ prædelaſſat aquarum.
Inſilit huc: mirumque fuit potuiſſe, volabat,
Percutienſque levem modo natis aëra pennis,
Stringebat ſummas ales miſerabilis undas.
Dumque volat, mœſto ſimilem, plenumque querelæ
Ora dedere ſonum. Superis miſerantibus, ambo
Alite mutantur. Fatis obnoxius îſdem
Tunc quoque manſit amor, nec conjugiale ſolutum
Fœdus in alitibus: vivunt fiuntque parentes:
Perque dies placidos, hyberno tempore, ſeptem
Incubat Halcyone pendentibus æquore nidis.
Tum via tuta maris: ventos cuſtodit, & arcet
Aeolus egreſſu, præſtatque nepotibus æquor.

EX
FASTORVM
LIBRO SECVNDO.

Verſ. 383.

Silvia veſtalis cœleſtia pignora partu
  Ediderat, patruo regna tenente ſuo.
Is jubet auferri parvos, & in amne necari.
  Quid facis? Ex iſtis Romulus alter erit.
Juſſa recuſantes peragunt lacrymoſa miniſtri:
  Flent tamen: & geminos in loco juſſa ferunt.

Albula,

Albula, quem Tiberim merſus Tiberinus in undis
  Reddidit, hybernis forte tumebat aquis.
Hic, ubi nunc fora ſunt, lintres errare videres.
  Quaque jacent valles, maxime Circe, tuæ:
Huc ubi venerunt (neque enim procedere poſſunt
  Longius) ex illis unus & alter ait:
Ah quam ſunt ſimiles! ah quam formoſus uterque!
  Plus tamen ex iſtis, iſte vigoris habet.
Si genus arguitur vultu, niſi fallit imago,
  Neſcio quem e vobis ſuſpicor eſſe deum.
At ſi quis veſtræ deus eſſet originis auctor;
  In tam præcipiti tempore ferret opem.
Ferret opem certe, ſi non ope, mater, egeret,
  Quæ facta eſt uno mater & orba die.
Nata ſimul, moritura ſimul, ſimul ite ſub undas
  Corpora. Deſierat; depoſuitque ſinu
Vagierant ambo pariter; ſenſiſſe putares.
  Hi redeunt udis in ſua tecta genis;
Suſtinet impoſitos ſumma cavus alveus unda.
  Heu quantum fati parva tabella tulit!
Alveus in limo ſylvis appulſus opacis
  Paulatim fluvio deficiente ſedet.
Arbor erat, remanent veſtigia, quæque vocatur
  Romula nunc ficus, Rumina ficus erat.
Venit ad expoſitos (mirum!) lupa fœta gemellos.
  Quis credat pueris non nocuiſſe feram?
Non nocuiſſe parum eſt, prodeſt quoque; quos lupa nutrit,
  Perdere cognatæ ſuſtinuere manus.
Conſtitit: & cauda teneris blanditur alumnis:
  Et lingit lingua corpora bina ſua.

Marte ſatos ſcires, timor abfuit; ubera ſugunt,
Nec ſibi promiſſi lactis aluntur ope.
Illa loco nomen fecit locus ille Lupercal.
Magna dati nutrix præmia lactis habet.

EX LIBRO TERTIO.

Verſus 57.

Lacte quis infantes neſcit creviſſe ferino?
Et Picum expoſitis ſæpe tuliſſe cibos?
Non ego te, tantæ nutrix Laurentia gentis,
Nec taceam veſtras, Fauſtule pauper, opes.
Martia ter ſenos proles adoleverat annos:
Et ſuberat flavæ jam nova barba comæ.
Omnibus agricolis, armentorumque magiſtris
Iliadæ fratres jura petita dabant.
Sæpe domum veniunt prædonum ſanguine læti,
Et redigunt actos in ſua rura boves.
Vt genus audierant, animos pater editus auget:
Et pudet in parvis nomen habere caſis:
Romuleoque cadit trajectus Amulius enſe:
Regnaque longævo reſtituuntur avo.
Mænia conduntur: quæ quamvis parva fuerunt,
Non tamen expediit tranſiliiſſe Remo.
Jam modo qua fuerant ſylvæ pecorumque receſſus,
Vrbs erat, æternæ cum pater urbis ait:
Arbiter armorum de cujus ſanguine natus
Credor, & ut credat pignora multa dabo:
A te principium Romano ducimus anno:
Primus de patrio nomine menſis erit.
Vox rata fit, patrioque vocat de nomine menſem,
Dicitur hæc pietas grata fuiſſe deo.

EX TRISTIVM
LIBRO PRIMO.
ELEGIA III.

Quum ſubit illius triſtiſſima noctis imago
  Quæ mihi ſupremum tempus in urbe fuit:
Quum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui,
  Labitur ex oculis tunc quoque gutta meis.
Jam prope lux aderat, qua me diſcedere Cæſar
  Finibus extremæ juſſerat Auſoniæ.
Nec ſpatium, nec mens fuerat ſatis apta parandi;
  Torpuerant longa pectora noſtra mora.
Non mihi ſervorum, comites non cura legendi,
  Non aptæ profugo veſtis, opiſve fuit.
Non aliter ſtupui, quam qui Jovis ignibus ictus,
  Vivit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.
Vt tamen hanc animi nubem dolor ipſe removit,
  Et tandem ſenſus convaluere mei,
Alloquor extremum mœſtos abiturus amicos,
  Qui modo de multis unus & alter erant.
Vxor amans flentem flens acrius ipſa tenebat,
  Imbre per indignas uſque cadente genas.
Nata procul Libycis aberat diverſa ſub oris:
  Nec poterat fati certior eſſe mei.
Quocumque aſpiceres, luctus, gemituſque ſonarent:
  Formaque non taciti funeris intus erat.
Fœmina, virque, meo pueri quoque funere mœrent:
  Inque domo lacrymas angulus omnis habet.
Si licet exemplis in parvo grandibus uti:
  Hæc facies Trojæ, cum caperetur, erat.
Jamque quieſcebant voces hominumque canumque,

Luna-

Lunaque nocturnos alta regebat equos.
Hanc ego suspiciens, & adhuc Capitolia cernens,
Quæ nostro frustra juncta fuere Lari:
Numina vicinis habitantia sedibus, inquam,
Jamque oculis nunquam templa videnda meis,
Dîque relinquendi, quos urbs habet alta Quirini,
Este salutati tempus in omne mihi;
Et quanquam sero clypeum post vulnera sumo,
Attamen hanc odiis exonerate fugam:
Cœlestique viro, quis me deceperit error,
Dicite, pro culpa, ne scelus esse putet.
Vt quod sentitis, pœnæ quoque sentiat auctor:
Placato, possum non miser esse, Deo.
Hac prece adoravi Superos ego, pluribus uxor,
Singultu medios impediente sonos.
Illa etiam ante Lares sparsis prostrata capillis
Contigit extructos, ore tremente, focos:
Multaque in adversos effudit verba Penates
Pro deplorato non valitura viro.
Jamque moræ spatium nox præcipitata negabat:
Versaque ab axe suo Parrhasis arctos erat:
Quid facerem? blando patriæ retinebar amore:
Vltima sed jussæ nox erat illa fugæ.
Ah quoties, aliquo, dixi, properante, quid urges?
Vel quo festinas ire, vel unde, vide.
Ah quoties certam me sum mentitus habere
Horam, præpositæ quæ foret apta viæ.
Ter limen tetigi, ter sum revocatus, & ipse
Indulgens animo pes mihi tardus erat.
Sæpe vale dicto, rursus sum multa locutus,
Et quasi discedens oscula summa dedi.

Sæpe eadem mandata dedi, meque ipſe feſelli
 Reſpiciens oculis pignora cara meis.
Denique quid propero? Scythia eſt quo mittimur, inquam,
 Roma relinquenda eſt, utraque juſta mora eſt.
Vxor in æternum vivo mihi viva negatur:
 Et domus, & fidæ dulcia membra domus:
Quoſque ego dilexi fraterno more ſodales,
 O mihi Theſea pectora juncta fide,
Dum licet amplectar, nunquam fortaſſe licebit
 Amplius; in lucro eſt, quæ datur hora mihi.
Nec mora, ſermonis verba imperfecta relinquo,
 Amplectens animo proxima quæque meo.
Dum loquor & flemus, cœlo nitidiſſimus alto,
 Stella gravis nobis, Lucifer ortus erat.
Dividor haud aliter, quam ſi mea membra relinquam,
 Et pars abrumpi corpore viſa ſuo eſt.
Sic doluit Priamus tunc cum in contraria verſus
 Vltores habuit proditionis equus.
Tum vero exoritur clamor, gemituſque meorum;
 Et feriunt mœſtæ pectora nuda manus.
Tum vero conjux humeris abeuntis inhærens
 Miſcuit hæc lacrymis triſtia dicta meis.
Non potes avelli ſimul hinc, ſimul ibimus ambo,
 Te ſequar, & conjux exulis exul ero,
Et mihi facta via eſt, & me capit ultima tellus,
 Accedam profugæ ſarcina parva rati.
Te jubet e patria diſcedere Cæſaris ira;
 Me pietas, pietas hæc mihi Cæſar erit.
Talia tentabat, ſicut tentaverat ante:
 Vixque dedit victas utilitate manus.

Egredior, sive illud erat, sine funere ferri,
  Squalidus immissis hirta per ora comis.
Illa dolore mei tenebris narratur obortis
  Semianimis media procubuisse domo.
Vtque resurrexit, fœdatis pulvere turpi
  Crinibus, & gelida membra levavit humo:
Se modo, desertos modo deplorasse Penates,
  Nomen & erepti sæpe vocasse viri:
Nec gemuisse minus, quam si natæve, meumve
  Vidisset structos corpus habere rogos.
Et voluisse mori, moriendo ponere sensus,
  Respectuque tamen non periisse mei.
Vivat, & absentem, quoniam sic fata tulerunt,
  Vivat, & auxilio sublevet usque suo.
Tingitur Oceano custos Erymanthidos Vrsæ,
  Aequoreasque suos sidere turbat aquas;
Nos tamen Ionium nostra non findimus æquor
  Sponte, sed audaces cogimur esse metu.
Me miserum! Quantis nigrescunt æquora ventis,
  Erutaque ex imis fervet arena fretis
Monte nec inferior proræ, puppique recurvæ
  Insilit, & pictos verberat unda deos.
Pinea texta sonant, pulsi stridore rudentis:
  Aggemit & nostris ipsa carina malis.
Navita confessus gelidum pallore timorem,
  Jam sequitur victus, non regit arte ratem.
Vtque parum validus non proficientia rector
  Cervicis rigidæ fræna remittit equo;
Si non quo voluit, sed quo rapit impetus undæ,
  Aurigam video vela dedisse rati.
Quod nisi mutatas emiserit Aeolus auras,

In

In loca jam nobis non adeunda ferar.
Nam procul Illyricis læva de parte relictis,
Interdicta mihi cernitur Italia.
Desinat in vetitas, quæso, contendere terras,
Et mecum magno pareat unda deo.
Dum loquor, & cupio pariter, timeoque repelli,
Increpuit quantis viribus unda latus?
Parcite cærulei vos tantum numina ponti,
Infestumque mihi sit satis esse Jovem.
Vos animam sævæ fessam subducite morti,
Si modo, qui periit, non periisse potest.

EX LIBRO TERTIO.

ELEGIA VIII.

Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currus,
Misit in ignotam qui rude semen humum.
Nunc ego Medeæ vellem frænare dracones,
Quos habuit fugiens arce, Corinthe, tua.
Nunc ego jactandas optarem sumere pennas,
Sive tuas, Perseu, Dædale, sive tuas.
Vt, tenera nostris cedente volatibus aura,
Aspicerem patriæ dulce repente solum:
Dersertæque domus vultus, memoresque sodales,
Caraque præcipue conjugis ora meæ.
Stulte, quid hæc frustra votis puerilibus optas?
Quæ non ulla tibi fertque feretque dies:
Si semel optandum est, Augusti numen adora,
Et quem læsisti, rite precare deum.
Ille tibi pennasque potest, currusque volucres
Tradere; det reditum, protinus ales eris.

Si precer hæc, neque enim possum majora precari,
Ne mea sint, timeo, vota modesta parum.
Forsitan hoc olim, cum jam satiaverit iram,
Tunc quoque sollicita mente rogandus erit.
Quod minus interea est, instar mihi muneris ampli:
Ex his me jubeat quolibet ire locis.
Nec cœlum, nec aquæ faciunt, nec terra, nec auræ:
Hei mihi! perpetuus corpora languor habet.
Seu vitiant artus ægræ contagia mentis,
Sive mei causa est in regione mali:
Vt tetigi pontum, vexant insomnia, vixque
Ossa tegit macies, nec juvat ora cibus.
Quique per autumnum percussis frigore primo
Est color in foliis quæ nova læsit hyems,
Is mea membra tenet, nec viribus allevor ullis,
Et nunquam queruli causa doloris abest.
Nec melius valeo, quam corpore, mente: sed ægra est
Vtraque pars æque, binaque damna fero.
Hæret & ante oculos veluti spectabile corpus
Adstans fortunæ forma videnda meæ.
Cumque locos, moresque hominum cultusque sonosque
Cernimus, & quid sim, quid fuerimque subit:
Tantus amor necis est, querar ut de Cæsaris ira,
Quod non offensas vendicet ense suas.
At quoniam semel est odio civiliter usus,
Mutato levior sit fuga nostra loco.

Ibid. ELEGIA X.

Si quis adhuc istic meminit Nasonis adempti,
Et superest sine me nomen in urbe meum:

Sup-

Suppositum stellis nunquam tangentibus æquor
Me sciat in media vivere barbaria.
Sauromatæ cingunt, fera gens, Bessique Getæque,
Quæ non ingenio nomina digna meo.
Dum tamen aura tepet, medio defendimur Istro:
Ille suis liquidus bella repellit aquis.
At cum tristis hyems squalentia protulit ora,
Terraque marmoreo est candida facta gelu:
Tum patet & Boreas & nix jactata sub Arcto,
Tum liquet has gentes axe tremente premi.
Nix jacet, & jactam non sol pluviæque resolvunt:
Indurat Boreas, perpetuamque facit.
Ergo ubi delicuit nondum prior, altera venit:
Et solet in multis bima jacere locis:
Tantaque commoti vis est Aquilonis, ut altas
Aequet humo turres, tectaque rapta ferat.
Pellibus, & sutis arcent mala frigora braccis,
Oraque de toto corpore sola patent.
Sæpe sonant moti glacie pendente capilli:
Et nitet inducto candida barba gelu.
Nudaque consistunt formam servantia testæ
Vina; nec hausta meri, sed data frusta bibunt.
Quid loquar ut cuncti concrescant frigore rivi,
Deque lacu fragiles effodiantur aquæ?
Ipse, papyrifero qui non angustior amne,
Miscetur vasto multa per ora freto,
Cæruleos ventis latices durantibus Ister
Congelat; & tectis in mare serpit aquis:
Quaque rates ierant, pedibus nunc itur, & undas
Frigore concretas ungula pulsat equi.
Perque novos pontes subter labentibus undis

Du-

Ducunt Sarmatici barbara plauſtra boves.
Vix equidem credar; ſed quum ſint præmia falſi
Nulla, ratam debet teſtis habere fidem.
Vidimus ingentem glacie conſiſtere Pontum,
Lubricaque immotas teſta premebat aquas.
Nec vidiſſe ſat eſt, durum calcavimus æquor;
Vndaque non udo ſub pede ſumma fuit.
Si tibi tale fretum quondam, Leandre, fuiſſet,
Non foret anguſtæ mors tua crimen aquæ.
Tum neque ſe pandi poſſunt Delphines in auras
Tollere, conantes dura coërcet hyems.
Et quamvis Boreas jactatis inſonet alis,
Fluctus in obſeſſo gurgite nullus erit.
Incluſæque gelu ſtabunt, ut marmore, puppes,
Nec poterit rigidas findere remus aquas,
Vidimus in glacie piſces hærere ligatos:
Sed pars ex illis tum quoque viva fuit.
Sive igitur nimii Boreæ vis ſæva marinas,
Sive redundatas flumine cogit aquas,
Protinus æquato ſiccis Aquilonibus Iſtro,
Invehitur celeri barbarus hoſtis equo.
Hoſtis equo pollens, longeque volante ſagitta
Vicinam late depopulatur humum.
Diffugiunt alii, nulliſque tuentibus agros,
Incuſtoditæ diripiuntur opes.
Ruris opes parvæ, pecus, & ſtridentia plauſtra,
Et quas divitias incola pauper habet.
Pars agitur vinctis poſt tergum capta lacertis,
Reſpiciens fruſtra, rura, laremque ſuum.
Pars cadit hamatis miſere confixa ſagittis:
Nam volucri ferro tinctile virus ineſt.

Quæ

Quæ nequeunt ſecum ferre, aut abducere, perdunt:
Et cremat inſontes hoſtica flamma caſas.
Tum quoque, cum pax eſt, trepidant formidine belli;
Nec quiſquam preſſo vomere ſulcat humum.
Aut videt, aut metuit locus hic, quem non videt, hoſtem:
Ceſſat iners rigido terra relicta ſitu.
Non hic pampinea dulcis latet uva ſub umbra;
Nec cumulant altos fervida muſta lacus.
Poma negat regio, nec haberet Acontius, in quo
Scriberet hic dominæ verba legenda ſuæ.
Aſpiceres nudos, ſine fronde, ſine arbore, campos.
Heu loca felici non adeunda viro!
Ergo tam late pateat cum maximus orbis,
Hæc eſt in pœnas terra reperta meas?

EX LIBRO QVARTO.
ELEGIA V.
V. 34.

Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri:
Præbet & incurvo colla premenda jugo.
Tempore paret equus lentis animoſus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Tempore Pœnorum compeſcitur ira leonum,
Nec feritas animo, quæ fuit ante, manet:
Quæque ſui juſſis obtemperat Inda Magiſtri
Bellua, ſervitium tempore victa ſubit.
Tempus ut extentis tumeat facit uva racemis,
Vixque merum capiant grana, quod intus habent.
Tempus & in canas ſemen producit ariſtas;
Et, ne ſint triſti poma ſapore, facit.

Hoc tenuat dentem terram findentis aratri,
Hoc rigidos silices, hoc adamanta terit.
Hoc etiam sævas paulatim mitigat iras:
Hoc minuit luctus, mœstaque corda levat.
Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas,
Præterquam curas attenuare meas.
Vt patria careo, bis frugibus area trita est,
Dissiluit nudo pressa bis uva pede.
Non quæsita tamen spatio patientia longo est,
Mensque mali sensum nostra recentis habet.
Scilicet & veteres fugiunt juga sæpe juvenci,
Et domitus fræno sæpe repugnat equus.
Tristior est etiam præsens ærumna priore:
Vt sit enim sibi par, crevit, & aucta mora est.
Nec tam nota mihi, quam sunt, mala nostra fuerunt:
Sed magis hæc, quo sunt cognitiora, gravant.
Est quoque non minimum vires afferre recentes:
Nec præconsumptum temporis esse malis;
Fortior in fulva novus est luctator arena,
Quam cui sunt tarda brachia fessa mora.
Integer est melior nitidis gladiator in armis,
Quam cui tela suo sanguine tincta rubent.
Fert bene præcipites navis modo facta procellas:
Quamlibet exiguo solvitur imbre vetus;
Nos quoque, quæ ferimus, tulimus patientius ante,
Quæ mala sunt longa multiplicata die.
Credite, deficio, nostroque a corpore (quantum
Auguror) accedunt tempora parva malis.
Nam neque sunt vires, nec qui color esse solebat.
Vix habeo tenuem, quæ tegat ossa, cutem.
Corpore sed mens est ægro magis ægra, malique

In

In circumſpectu ſtat ſine fine ſui.
Vrbis abeſt facies, abſunt, mea cura, ſodales:
Et, qua nulla mihi carior, uxor abeſt.
Vulgus adeſt Scythicum, braccataque turba Getarum.
Sic mala quæ video, non videoque, nocent.
Vna tamen ſpes eſt, quæ me ſoletur in iſtis;
Hæc fore morte mea non diuturna mala.

EX LIBRO PRIMO
DE PONTO.

EPIST. IX. ad Severum.

A tibi dilecto miſſam Naſone ſalutem
Accipe, pars animæ magna, Severe, meæ.
Neve roges quid agam, ſi perſequar omnia, flebis;
Summa ſatis noſtri ſit tibi nota mali.
Vivimus aſſiduis expertes pacis in armis,
Dura pharetrato bella movente Geta.
Deque tot expulſis ſum miles in exule ſolus:
Tuta, neque invideo, cætera turba latet.
Quoque magis noſtros venia dignere libellos,
Hæc in procinctu carmina facta leges.
V. 27. Vt careo vobis Scythicas detruſus in oras,
Quatuor autumnos Pleïas orta facit:
Nec tu credideris urbanæ commoda vitæ
Quærere Naſonem, quærit & illa tamen.
Nam modo vos animo dulces reminiſcor amici,
Nunc mihi cum cara conjuge nata ſubit:
Atque domo rurſus pulchræ loca vertor ad urbis,
Cunctaque mens oculis prævidet illa ſuis.

Nunc fora, nunc ædes, nunc marmore tecta theatra,
Nunc ſubit æquata porticus omnis humo.
Gramina nunc pulchros campi ſpectantis in hortos,
Stagnaque & Euripi, virgineuſque liquor.
At (puto) ſic urbis miſero eſt erepta voluptas,
Quolibet ut ſaltem rure frui liceat.
Non meus amiſſos animus deſiderat agros,
Ruraque Peligno conſpicienda ſolo,
Nec quos piniferis poſitos in montibus hortos
Spectat Flaminiæ Claudia juncta viæ.
Quos ego neſcio cui colui, quibus ipſe ſolebam
Ad ſata fontanas (nec pudet) addere aquas.
Sunt ibi, ſi vivunt noſtra quoque conſita quædam,
Sed non & noſtra poma legenda manu.
Pro quibus amiſſis, utinam contingere poſſet,
Hic ſaltem profugo gleba colenda mihi:
Ipſe ego pendentes (liceat modo) rupe capellas
Ipſe velim baculo paſcere nixus oves.
Ipſe ego, ne ſolitis inſiſtant pectora curis,
Ducam ruricolas ſub juga panda boves.
Et diſcam Getici quæ norunt verba juvenci,
Adſuetas illis adjiciamque minas.
Ipſe manu capulum preſſi moderator aratri,
Experiar mota ſpargere ſemen humo.
Nec dubitem longis purgare ligonibus arva,
Et dare quas ſitiens combibat hortus aquas.
Vnde ſed hoc nobis? minimum quos inter & hoſtem
Diſcrimen murus, clauſaque porta facit.
At tibi naſcenti, (quod toto pectore lætor)
Nerunt fatales fortia fila Deæ.
Te modo campus habet, denſa modo porticus umbra;
Nunc

Nunc in quo ponis tempora rara, forum;
Vmbria te revocat, necnon Albana petentem
Appia ferventi ducit ab urbe rota.
Forſitan hoc optes, ut juſtam ſupprimat iram
Cæſar, & hoſpitium ſit tua villa meum.
Ah nimium eſt quod, amice, petis! moderantius opta;
Et voti, quæſo, contrahe vela tui.
Terra velim propior, nullique obnoxia bello
Detur, erit noſtris pars bona dempta malis.

EX LIBRO SECVNDO.

EPIST. IV. ad Atticum.

Accipe colloquium gelido Naſonis in Iſtro,
Attice, judicio non dubitate meo.
Ecquid adhuc remanes memor infelicis amici?
Deſerit an partes languida cura ſuas?
Non ita Dî mihi ſunt teſtes, ut credere poſſim,
Faſque putem jam te non meminiſſe mei.
Ante meos oculos præſto eſt tua ſemper imago,
Et videor vultus mente videre tuos.
Seria multa mihi tecum collata recordor,
Nec data jucundis tempora pauca jocis.
Sæpe citæ longis viſæ ſermonibus horæ;
Sæpe fuit brevior, quam mea verba, dies.
Sæpe tuas venit factum modo carmen ad aures;
Et nova judicio ſubdita muſa tuo eſt.
Quod tu laudaras, populo placuiſſe putabam,
Hoc pretium curæ dulce recentis erat.
Vtque meus lima raſus liber eſſet amici,
Non ſemel admonitu facta litura tuo eſt.

Nos fora viderunt pariter, nos porticus omnis,
Nos via, nos cunctis curva theatra locis.
Denique tantus amor nobis, cariſſime, ſemper,
Quantus in Aeaciden Actoridenque fuit.
Non ego, ſi biberes ſecuræ pocula Lethes,
Excidere hæc credam pectore poſſe tuo.
Longa dies citior brumali ſydere, noxque
Tardior hyberna ſolſtitialis erit:
Nec Babylon æſtus, nec frigora Pontus habebit,
Calthaque Pœſtanas vincet odore roſas:
Quam tibi noſtrarum veniant oblivia rerum.
Non ita pars fati candida nulla mei eſt.
Ne tamen hæc dici poſſit fiducia mendax,
Stultaque credulitas noſtra fuiſſe, cave:
Conſtantique fide veterem tueare ſodalam,
Qua licet, & quantum non oneroſus ero.

VARIAE EX OVIDIO SENTENTIAE.

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.
Principiis obſta, ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.
Naſcitur exiguus, ſed opes acquirit eundo,
Quaque venit, multas accipit amnis aquas.
Tabida conſumit ferrum, lapidemque vetuſtas,
Nullaque res majus tempore robur habet.
Terretur minimo pennæ ſtridore columba
Vnguibus, Accipiter, ſaucia facta tuis.

Nec procul a ſtabulis audet diſcedere, ſi qua
Excuſſa eſt avidi dentibus agna lupi.
Quo quiſque eſt major, magis eſt placabilis iræ,
Et faciles motus mens generoſa capit.
Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.
Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Reſpuit, atque odio verba monentis habet.
Fertilis, aſſiduo ſi non renovetur aratro,
Nil niſi cum ſpinis, gramen habebit ager.
Gutta cavat lapidem, conſumitur annulus uſu,
Et teritur preſſa vomer aduncus humo:
Qnid magis eſt durum ſaxo? quid mollius unda?
Dura tamen molli ſaxa cavantur aqua.
Iſta decens facies longis vitiabitur annis,
Rugaque in antiqua fronte ſenilis erit:
Injicietque manus formæ damnoſa ſenectus,
Quæ ſtrepitum paſſu non faciente venit.
Sint procul a nobis juvenes ut fœmina compti,
Fine coli modico forma virilis amat.
Nil adeo fortuna gravis miſerabile fecit,
Ut minuant nulla gaudia parte malum;
Nempe dat, & quodcumque libet fortuna, rapitque;
Irus & eſt ſubito qui modo Crœſus erat.
Ingenium quondam fuerat pretioſius auro;
Nunc eſt barbaries grandis habere nihil.
Si mihi difficilis formam natura negavit,
Ingenio formæ damna rependo meæ.
Fertilior ſeges eſt alieno ſemper in agro,
Vicinumque pecus grandius uber habet.
Dum vires, animique ſinunt, tolerare labores;

Jam veniet tacito curva senecta pede.
Venturæ memores jam nunc estote senectæ;
Sic nullum vobis tempus abibit iners.
Curando fieri quædam majora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.
Terra salutiferas herbas, eademque nocentes
Nutrit: & urticæ proxima sæpe rosa est.
Quæritur Aegisthus quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.
Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Et vitium capiant, ni moveantur aquæ.
Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Detinet, immemores nec sinit esse sui.
Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor,
Vt volucri vacuo quicquid in orbe patet.
Cum mora dat vires, teneras quoque percoquit uvas,
Et validas segetes, quæ fuit herba, facit.
Quæ præbet latas arbor spatiantibus umbras,
Quo posita est primum tempore, virga fuit:
Tunc poterat manibus summa tellure revelli,
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.
Dextera præcipue capit indulgentia mentes,
Asperitas odium, sævaque bella movet.
Odimus Accipitrem, quia vivit semper in armis;
Et pavidum solitos in pecus ire lupos.
At caret insidiis hominum, quia mitis hirundo,
Quasque colat turres Chaonis ales habet.
Vivimus instabiles, nec in una sede moramur.
Turpe senex miles, turpe senilis amor.
Triste lupus stabulis. . . . .

Finis excerptorum ex Ovidio.

* *

EX P. VIRGILII MARONIS BVCOLICIS.

ECLOGA PRIMA.

Me. Tityre, tu patulæ recubans ſub tegmine fagi,
Sylveſtrem tenui muſam meditaris avena.
Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arva:
Nos patriam fugimus; tu, Tityre, lentus in umbra
Formoſam reſonare doces Amaryllida ſylvas.
Ti. O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit:
Namque erit ille mihi ſemper Deus: illius aram
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, & ipſum
Ludere, quæ vellem, calamo permiſit agreſti.
Me. Non equidem invideo, miror magis undique totis
Vſque adeo turbatur agris: en ipſe capellas
Protinus æger ago, hanc etiam vix, Tityre, duco.
Hic inter denſas corylos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah! ſilice in nuda connixa reliquit.
Sæpe malum hoc nobis ſi mens non læva fuiſſet,
De cœlo tactas memini prædicere quercus.
Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix.
Sed tamen iſte Deus qui ſit, da, Tityre, nobis.
Ti. Vrbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavi
Stultus ego huic noſtræ ſimilem, quo ſæpe ſolemus
Paſtores ovium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hœdos

Noram, ſic parvis componere magna ſolebam.
Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.
Me. Ecquæ tanta fuit Romam tibi cauſa videndi?
Ti. Libertas: quæ ſera tamen reſpexit inertem,
Candidior poſtquam tondenti barba cadebat:
Reſpexit tamen, & longo poſt tempore venit:
Poſtquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque (fatebor enim) dum me Galatea tenebat,
Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculî.
Quamvis multa meis exiret victima ſeptis,
Pinguis & ingratæ premeretur caſeus urbi,
Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.
Me. Mirabar, quid mœſta deos, Amarilli, vocares,
Cui pendere ſua patereris in arbore poma.
Tytirus hinc aberat: ipſæ te, Tityre, pinus,
Ipſi te fontes, ipſa hæc arbuſta vocabant.
Ti. Quid facerem? neque ſervitio me exire licebat,
Nec tam præſentes alibi cognoſcere Divos.
Hic illum vidi juvenem, Melibœe, quotannis
Bis ſenos cui noſtra dies altaria fumant.
Hic mihi reſponſum primus dedit ille petenti:
Paſcite, ut ante boves, pueri, ſubmittite tauros.
Me. Fortunate ſenex, ergo tua rura manebunt,
Et tibi magna ſatis; quamvis lapis omnia nudus,
Limoſoque palus obducat paſcua junco.
Non inſueta graves tentabunt pabula fœtas,
Nec mala vicini pecoris contagia lædent.
Fortunate ſenex, hic inter flumina nota
Et fontes ſacros frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quæ ſemper vicino ab limite ſepes,

Hy-

Hyblæis apibus florem depaſta ſalicti,
Sæpe levi ſomnum ſuadebit inire ſuſurro.
Hinc alta ſub rupe canet frondator ad auras:
Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab ulmo.
Ti. Ante leves ergo paſcentur in æthere cervi,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces:
Ante, pererratis amborum finibus, exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quam noſtro illius labatur pectore vultus.
Me. At nos hinc alii ſitientes ibimus Afros;
Pars Scythiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxen,
Et penitus toto diviſos orbe Britannos.
En unquam patrios longo poſt tempore fines,
Pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen,
Poſt aliquot, mea regna videns, mirabor ariſtas?
Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? en, quo diſcordia cives
Perduxit miſeros! en queis conſevimus agros!
Inſere nunc, Melibœe, pyros, pone ordine vites;
Ite meæ, quondam felix pecus, ite capellæ:
Non ego vos poſthac viridi projectus in antro,
Dumoſa pendere procul de rupe videbo:
Carmina nulla canam: non, me paſcente, capellæ,
Florentem cythiſum, & ſalices carpetis amaras.
Ti. Hic tamen hac mecum poteris requieſcere nocte
Fronde ſuper viridi: ſunt nobis mitia poma,
Caſtaneæ molles, & preſſi copia lactis.
Et jam ſumma procul villarum culmina fumant,
Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

ECLO-

ECLOGA IV.

Sicelides Musæ, paulo majora canamus.
Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ.
Si canimus sylvas, sylvæ sint consule dignæ.
Vltima Cumæi venit jam carminis ætas;
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna:
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina; tuus jam regnat Apollo.
Teque adeo decus hoc ævi, te consule inibit
Pollio, & incipient magni procedere menses.
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.
Ille Deum vitam accipiet, Divisque videbit
Permistos heroas, & ipse videbitur illis;
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mistaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Vbera, nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores:
Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet: Assyrium vulgo nascetur amomum.
At simul heroum laudes, & facta parentis
Jam legere, & quæ sit poteris cognoscere virtus:
Molli paullatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva.
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Pauca

Pauca tamen ſuberunt priſcæ veſtigia fraudis,
Quæ tentare Thetim ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infindere ſulcos.
Alter erit tum Tiphys, & altera, quæ vehat, Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella:
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.
Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas,
Cedet & ipſe mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non raſtros patietur humus, non vinea falcem:
Robuſtus quoque jam tauris juga ſolvet arator,
Nec varios diſcet mentiri lana colores:
Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto:
Sponte ſua ſandyx paſcentes veſtiet agnos.
Talia ſæcla, ſuis dixerunt, currite, fuſis,
Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ:
Agredere o magnos, aderit jam tempus, honores,
Cara Deum ſoboles, magnum Jovis incrementum.
Aſpice convexo nutantem pondere mundum,
Terraſque, tractuſque maris, cœlumque profundum:
Aſpice venturo lætentur ut omnia ſæclo.
O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,
Spiritus & quantum ſat erit tua dicere facta:
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamvis, atque huic pater adſit:
Orphei Calliopea, Lino formoſus Apollo.
Pan Deus Arcadia mecum ſi judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat ſe judice victum.
Incipe, parve puer, riſu cognoſcere matrem:

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.
Incipe, parve puer,: cui non riſere parentes,
Nec Deus hunc menſa, Dea nec dignata cubili eſt.

EX
GEORGICORVM
LIBRO PRIMO.

Verſ. 125.

Ante Jovem nulli ſubigebant arva coloni:
Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant: ipſaque tellus
Omnia liberius, nullo poſcente, ferebat.
Ille malum virus ſerpentibus addidit atris,
Prædarique lupos juſſit, pontumque moveri;
Mellaque decuſſit foliis, ignemque removit;
Et paſſim rivis currentia vina repreſſit;
Vt varias uſus meditando extunderet artes
Paulatim, & ſulcis frumenti quæreret herbam,
Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem.
Tunc alnos primum fluvii ſenſere cavatas:
Navita tum ſtellis numeros, & nomina fecit.
Tum laqueis captare feras, & fallere viſco
Inventum, magnos canibus circumdare ſaltus.
Atque alius latum funda jam verberat amnem
Alta petens; pelagoque alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor, atque argutæ lamina ſerræ:
Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum.
Tum variæ venere artes. Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Prima

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Instituit; cum jam glandes atque arbuta sacræ
Deficerent sylvæ, & victum Dodona negaret.
276. Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna
Felices operum. Quintam fuge; pallidus Orcus,
Eumenidesque satæ. Tum partu Terra nefando
Cœumque, Iapetumque creat, sævumque Typhœa,
Et conjuratos cœlum rescindere fratres.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet, atque Ossæ frondosum involvere Olympum:
Ter Pater extructos disjecit fulmine montes.

EX LIBRO SECVNDO.

Vers. 323.

Ver adeo frondi nemorum, ver utile sylvis:
Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt.
Tum Pater omnipotens fœcundis imbribus Aether
Conjugis in gremium latæ descendit, & omnes
Magnus alit, magno commistus corpore fœtus.
Avia tum resonant avibus virgulta canoris:
Parturit almus ager: Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva sinus: superat tener omnibus humor,
Inque novos soles audent se gramina tuto
Credere: nec metuit surgentes pampinus Austros,
Aut actum cœlo magnis Aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.
Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim; ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri:
Cum primæ lucem pecudes hausere, virumque

Ferrea

Ferrea progenies duris caput extulit arvis,
Immiſſæque feræ ſylvis, & ſidera Cœlo.
458. O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas! quibus ipſa procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantûm totis vomit ædibus undam,
Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Illuſaſque auro veſtes, Ephyreiaque æra,
Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno,
Nec caſia liquidi corrumpitur uſus olivi:
At ſecura quies, & neſcia fallere vita,
Dives opum variarum: at latis otia fundis,
Speluncæ, vivique lacus; at frigida Tempe,
Mugituſque boum, molleſque ſub arbore ſomni
Non abſunt: illic ſaltus ac luſtra ferarum,
Et patiens operum, parvoque aſſueta juventus:
Sacra Deûm, ſanctique patres: extrema per illos
Juſtitia excedens terris, veſtigia fecit.

Me vero primum dulces ante omnia Muſæ,
Quarum ſacra vero ingenti percuſſus amore,
Accipiant; cœlique vias & ſidera monſtrent;
Defectus ſolis varios; lunæque labores;
Vnde tremor terris: qua vi maria alta tumeſcant
Obicibus ruptis, rurſuſque in ſe ipſa reſidant;
Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles
Hyberni; vel quæ tardis mora noctibus obſtet.
Sin, has ne poſſim naturæ accedere partes,
Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis;
Rura mihi, & rigui placeant in vallibus amnes:
Flumina amem, ſylvaſque inglorius. O ubi campi
Sper-

Sperchiuſque, & virginibus bacchata Lacænis
Taygeta! o, qui me gelidis in vallibus Hæmi
Siſtat, & ingenti ramorum protegat umbra!
Felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, ſtrepitumque Acherontis avari!
Fortunatus & ille, Deos qui novit agreſtes,
Panaque, Sylvanumque ſenem, Nymphaſque ſorores.
Illum non populi faſces, non purpura regum
Flexit, & infidos agitans diſcordia fratres;
Aut conjurato deſcendens Dacus ab Iſtro:
Non res Romanæ, perituraque regna: neque ille
Aut doluit miſerans inopem, aut invidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipſa volentia rura
Sponte tulere ſua, carpſit: nec ferrea jura,
Inſanumque forum, aut populi tabularia vidit.
Sollicitant alii remis freta cœca; ruuntque
In ferrum; penetrant aulas, & limina regum.
Hic petit excidiis urbem, miſeroſque Penates;
Vt gemma bibat, & Sarrano in dormiat oſtro.
Condit opes alius, defeſſoque incubat auro.
Hic ſtupet attonitus roſtris: hunc plauſus hiantem
Per cuneos (geminatus enim) plebiſque patrumque
Corripuit: gaudent perfuſi ſanguine fratrum,
Exſilioque domos, & dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quærunt ſub ſole jacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro.
Hinc anni labor: hinc patriam, parvoſque nepotes
Suſtinet: hinc armenta boum, meritoſque juvencos.
Nec requies: quin, aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi:

Proventuque oneret ſulcos, atque horrea vincat.
Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis;
Glande ſues læti redeunt; dant arbuta ſylvæ;
Et varios ponit fœtus autumnus: & alte
Mitis in apricis coquitur vindemia ſaxis.
Interea pendent dulces circum oſcula nati:
Caſta pudicitiam ſervat domus; ubera vaccæ
Lactea demittunt, pingueſque in gramine læto
Inter ſe adverſis luctantur cornibus hœdi.
Ipſe dies agitat feſtos, fuſusque per herbam,
Ignis ubi in medio, & ſocii cratera coronant.
Te libans, Lenæe, vocat: pecoriſque magiſtris
Velocis jaculi certamina ponit in ulmo;
Corporaque agreſti nudant prædura palæſtra.
Hanc olim veteres vitam coluere Sabini:
Hanc Remus & frater: ſic fortis Hetruria crevit:
Scilicet & rerum facta eſt pulcherrima Roma,
Septemque una ſibi muro circumdedit arces.
Ante etiam ſceptrum Dictæi regis, & ante
Impia quam cæſis gens eſt epulata juvencis;
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Necdum etiam audierant inflari claſſica; necdum
Impoſitos duris crepitare incudibus enſes.

EX LIBRO TERTIO.

Verſ. 163.

Tu quos ad ſtudium, atque uſum formabis agreſtem,
Jam vitulos hortare, viamque inſiſte domandi;
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.
Ac primum laxos tenui de vimine circlos

Cervici

Cervici ſubnecte: dehinc, ubi libera colla
Servitio aſſuerint, ipſis e torquibus aptos
Junge pares, & coge gradum conferre juvencos:
Atque illis jam ſæpe rotæ ducantur inanes
Per terram; & ſummo veſtigia pulvere ſignent.
Poſt valido nitens ſub pondere faginus axis
Inſtrepat, & junctos temo trahat æreus orbes.
Interea pubi indomitæ non gramina tantum,
Nec veſcas ſalicum frondes, ulvamque paluſtrem;
Sed frumenta manu carpes ſata: nec tibi fœtæ
More patrum nivea implebunt mulctralia vaccæ:
Sed tota in dulces conſument ubera natos.
Sin ad bella magis ſtudium, turmaſque feroces,
Aut Alphea rotis prælabi flumina Piſæ,
Et Jovis in luco currus agitare volantes:
Primus equi labor eſt, animos atque arma videre
Bellantum, lituoſque pati, tractuque gementem
Ferre rotam, & ſtabulo frænos audire ſonantes.
Tum magis atque magis blandis gaudere magiſtri
Laudibus, & plauſæ ſonitum cervicis amare.
Atque hæc jam primo depulſus ab ubere matris,
Audiat: inque vicem det mollibus ora capiſtris
Invalidus, etiamque tremens, etiam inſcius ævi.
At, tribus exactis, ubi quarta acceſſerit æſtas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibuſque ſonare
Compoſitis, ſinuetque alterna volumina crurum,
Sitque laboranti ſimilis: tum curſibus auras
Provocet, ac per aperta volans, ceu liber habenis,
Aequora, vix ſumma veſtigia ponat arena.
202. Hic vel ad Elei metas, & maxima campi
Sudabit ſpatia, & ſpumas aget ore cruentas;

Belgica vel molli melius feret eſſeda collo.
Tum demum craſſa magnum farragine corpus
Creſcere jam domitis ſinito: namque ante domandum
Ingentes tollent animos: prenſique negabunt
Verbera lenta pati, & duris parere lupatis.
286. Hoc ſatis armentis: ſuperat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges, hirtaſque capellas.
Hic labor, hinc laudem fortes ſperate coloni.
Nec ſum animi dubius, verbis ea vincere, magnum
Quam ſit, & anguſtis hunc addere rebus honorem.
294. Nunc veneranda Pales, magno nunc ore ſonandum.
Incipiens, ſtabulis edico in mollibus herbam
Carpere oves, dum mox frondoſa reducitur æſtas:
Et multa duram ſtipula, filicumque maniplis
Sternere ſubter humum, glacies ne frigida lædat
Molle pecus, ſcabiemque ferat, turpeſque podagras.
Poſt hinc digreſſus, jubeo frondentia capris
Arbuta ſufficere, & fluvios præbere recentes,
Et ſtabula a ventis hyberno opponere ſoli
Ad medium converſa diem: cum frigidus olim
Jam cadit, extremoque irrorat. Aquarius anno.
Hæc quoque non cura nobis leviore tuenda;
Nec minor uſus erit: quamvis Mileſia magno
Vellera mutentur Tyrios incocta rubores.
Denſior hinc ſoboles: hinc largi copia lactis.
Quo magis exhauſto ſpumaverit ubere mulctra,
Læta magis preſſis manabunt flumina mammis.
Nec minus interea barbas, incanaque menta
Cinyphii tondent hyrci, ſetaſque comantes

Vſum in caſtrorum, & miſeris velamina nautis.
Paſcuntur vero ſylvas, & ſumma Lycæi,
Horrenteſque rubos, & amantes ardua dumos.
Atque ipſæ memores redeunt in tecta, ſuoſque
Ducunt, & gravido ſuperant vix ubere limen.
404. Nec tibi cura canum fuerit poſtrema: ſed una
Veloces Spartæ catulos, acremque Moloſſum
Paſce ſero pingui: nunquam cuſtodibus illis
Nocturnum ſtabulis furem, incurſuſque luporum,
Aut impacatos a tergo horrebis Iberos.
Sæpe etiam curſu timidos agitabis onagros:
Et canibus leporem, canibus venabere damas:
Sæpe volutabris pulſos ſylveſtribus apros
Latratu turbabis agens, monteſque per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervum.
Diſce & odoratam ſtabulis accendere cedrum,
Galbaneoque agitare graves nidore chelydros.
Sæpe ſub immotis præſepibus aut mala tactu
Vipera delituit, cœlumque exterrita fugit,
Aut tecto aſſuetus coluber ſuccedere, & umbræ,
Peſtis acerba boum, pecorique aſpergere virus,
Fovit humum: cape ſaxa manu, cape robora paſtor:
Tollentemque minas, & ſibila colla tumentem
Dejice. Jamque fuga timidum caput abdidit alte,
Cum medii nexus, extremæque agmina caudæ
Solvuntur, tardoſque trahit ſinus ultimus orbes.
Eſt etiam ille malus Calabris in ſaltibus anguis,
Squamea convolvens ſublato pectore terga,
Atque notis longam maculoſus grandibus alvum:
Qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus, & dum
Vere madent udo terræ, ac pluvialibus auſtris,

Stagna colit: ripiſque habitans, hic piſcibus atram
Improbus ingluviem, raniſque loquacibus explet.
Poſtquam exuſta palus, terræque ardore dehiſcunt,
Exilit in ſiccum; & flammantia lumina torquens
Sævit agris, aſperque ſiti, atque exterritus æſtu.
Ne mihi tum molles ſub dio carpere ſomnos,
Nec dorſo nemoris libeat jacuiſſe per herbas:
Cum, poſitis novus exuviis, nitiduſque juventa,
Volvitur, aut catulos tectis, aut ova relinquens,
Arduus ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis.
Morborum quoque te cauſas, & ſigna docebo,
Turpis oves tentat ſcabies, ubi frigidus imber
Altius ad vivum perſedit, & horrida cano
Bruma gelu: vel cum tonſis illotus adhæſit
Sudor, & hirſuti ſecuerunt corpora vepres:
Dulcibus ideirco pluviis pecus omne magiſtri
Perfundunt: udiſque aries in gurgite villis
Merſatur, miſſusque ſecundo defluit amni:
Aut tonſum triſti contingunt corpus amurca,
Et ſpumas miſcent argenti ac ſulphura viva,
Idæaſque pices, & pingues unguine ceras,
Scillamque, helleboroſque graves, nigrumque bitumen.
Non tamen ulla magis præſens fortuna laborum eſt,
Quam ſi quis ferro potuit reſcindere ſummum
Vlceris os: alitur vitium, vivitque tegendo:
Dum medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat, & meliora Deos ſedet omnia poſcens.
Quin etiam ima dolor balantum lapſus ad oſſa
Cum furit, atque artus depaſcitur arida febris;
Profuit incenſos æſtus avertere, & inter

Ima ferire pedis ſalientem ſanguine venam:
Biſaltæ quo more ſolent, acerque Gelonus,
Cum fugit in Rhodopen, atque in deſerta Getarum,
Et lac concretum cum ſanguine potat equino.
Quam procul, aut molli ſuccedere ſæpius umbræ
Videris, aut ſummas carpentem ignavius herbas,
Extremamque ſequi, aut medio procumbere campo
Paſcentem, & ſeræ ſolam decedere nocti:
Continuo ferro culpam compeſce, prius quam
Dira per incautum ſerpant contagia vulgus.
Non tam creber agens hyemem ruit æquore turbo,
Quam multæ pecudum peſtes: nec ſingula morbi
Corpora corripiunt; ſed tota æſtiva repente,
Spemque, gregemque ſimul, cunctamque ab origine
gentem.
Tum ſciat, aërias Alpes, & Norica ſi quis
Caſtella in tumulis & Iapidis arva Timavi,
Nunc quoque poſt tanto videat, deſertaque regna
Paſtorum, & longe ſaltus lateque vacantes.
Hic quondam morbo cœli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totoque autumni incanduit æſtu;
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum;
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat ſimplex: ſed ubi ignea venis
Omnibus acta ſitis, miſeros adduxerat artus,
Rurſus abundabat fluidus liquor, omniaque in ſe
Oſſa minutatim morbo collapſa trahebat.
Sæpe in honore Deum medio ſtans hoſtia ad aram,
Lanea dum nivea circumdatur infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda miniſtros:
Aut ſi quam ferro mactaverat ante Sacerdos,

Inde neque impositis ardent altaria fibris,
Nec responsa potest consultus reddere vates:
Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri,
Summaque jejuna sanie infuscatur arena.
Hinc lætis vituli vulgo moriuntur in herbis,
Et dulces animas plena ad præsepia reddunt.
Hinc canibus blandis rabies venit, & quatit ægros
Tussis anhela sues, ac faucibus angit obesis.
Labitur infelix studiorum, atque immemor herbæ
Victor equus: fontesque avertitur, & pede terram
Crebra ferit: demissæ aures, incertus ibidem
Sudor, & ille quidem morituris frigidus: aret
Pellis, & ad tactum tractanti dura resistit.
Hæc ante exitium primis dant signa diebus.
    Sin in processu cœpit crudescere morbus,
Tum vero ardentes oculi, atque attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis: imaque longo
Ilia singultu tendunt: it naribus ater
Sanguis, & obsessas fauces premit aspera lingua.
Profuit inserto latices infundere cornu
Lenæos: ea visa salus morientibus una.
Mox erat hoc ipsum exitio; furiisque refecti
Ardebant: ipsique suos jam morte sub ægra
(Dî meliora piis, erroremque hostibus illum!)
Discissos nudis laniabant dentibus artus.
Ecce autem duro fumans sub vomere taurus
Concidit, & mistum spumis vomit ore cruorem,
Extremosque ciet gemitus: it tristis arator,
Mœrentem abjungens fraterna morte juvencum,
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
Non umbræ altorum nemorum, non mollia possunt

Prata movere animum, non qui per ſaxa volutus
Purior electro campum petit amnis: at ima
Solvuntur latera, atque oculos ſtupor urget inertes,
Ad terramque fluit devexo pondere cervix.
Quid labor, aut benefacta juvant, quid vomere terras
Invertiſſe graves? atqui non Maſſica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repoſtæ:
Frondibus & victu paſcuntur ſimplicis herbæ.
Pocula ſunt fontes liquidi, atque exercita curſu
Flumina; nec ſomnos abrumpit cura ſalubres.
Tempore non alio, dicunt, regionibus illis
Quæſitas ad ſacra boves Junonis, & uris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo ægre raſtris terram rimantur; & ipſis
Vnguibus infodiunt fruges: monteſque per altos
Contenta cervice trahunt ſtridentia plauſtra.
Non lupus inſidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat: acrior illum
Cura domat: timidi damæ, cervique fugaces,
Nunc interque canes, & circum tecta vagantur.
Jam maris immenſi prolem & genus omne natantum
Littore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctu
Proluit: inſolitæ fugiunt in flumina phocæ.
Interit & curvis fruſtra defenſa latebris
Vipera, & attoniti ſquamis aſtantibus hydri.
Ipſis eſt aër avibus non æquus, & illæ
Præcipites alta vitam ſub nube relinquunt.
Præterea nec jam mutari pabula refert,
Quæſitæque nocent artes, ceſſere magiſtri
Phillyrides, Chiron, Amythaoniuſque Melampus.

Sævit & in lucem Stygiis emiſſa tenebris
Pallida Tiſiphone, morbos agit ante, metumque,
Inque dies avidum ſurgens caput altius effert.
Balatu pecorum, & crebris mugitibus amnes,
Arenteſque ſonant ripæ, colleſque ſupini.
Jamque catervatim dat ſtragem, atque aggerat ipſis
In ſtabulis turpi dilapſa cadavera tabo:
Donec humo tegere, ac foveis abſcondere diſcunt.
Nam neque erat coriis uſus, nec viſcera quiſquam
Aut undis abolere poteſt, aut vincere flamma.
Nec tondere quidem morbo, illuvieque pereſa
Vellera, nec telas poſſunt attingere putres.
Verum etiam inviſos ſi quis tentarat amictus,
Ardentes papulæ, atque immundus olentia ſudor
Membra ſequebatur: nec longo deinde moranti
Tempore, contactos artus ſacer ignis edebat.

EX LIBRO QVARTO.

Verſ. 8.

Principio ſedes apibus, ſtatioque petendæ,
Quo neque ſit ventis aditus, (nam pabula venti
Ferre domum prohibent) neque oves, hœdique petulci
Floribus inſultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, & ſurgentes atterat herbas.
53. Illæ continuo ſaltus, ſylvaſque peragrant,
Purpureoſque metunt flores, & flumina libant
Summa leves: hinc neſcio qua dulcedine lætæ
Progeniem, nidoſque fovent: hinc arte recentes
Excudunt ceras, & mella tenacia fingunt.
Hinc, ubi jam emiſſum caveis ad ſidera cœli

Nare

Nare per æſtatem liquidam ſuſpexeris agmen,
Obſcuramque trahi vento mirabere nubem,
Contemplator, aquas dulces, & frondea ſemper
Tecta petunt: huc tu juſſos aſperge ſapores,
Trita meliſphylla, & cerinthæ ignobile gramen:
Tinnituſque cie, & Matris quate cymbala circum.
Ipſæ conſident medicatis ſedibus, ipſæ
Intima more ſuo ſeſe in cunabula condent.

Sin autem ad pugnam exierint (nam ſæpe duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu)
Continuoque animos vulgi, & trepidantia bello
Corda licet longe præſciſcere: namque morantes
Martius ille æris rauci canor increpat, & vox
Auditur, fractos ſonitus imitata tubarum.
Tum trepidæ inter ſe coëunt, penniſque coruſcant,
Spiculaque exacuunt roſtris, aptantque lacertos,
Et circa regem, atque ipſa ad prætoria denſæ
Miſcentur, magniſque vocant clamoribus hoſtem.
Ergo ubi ver nactæ ſudum, campoſque patentes,
Erumpunt portis, concurritur; æthere in alto
Fit ſonitus; magnum mixtæ glomerantur in orbem,
Præcipiteſque cadunt: non denſior aëre grando,
Nec de concuſſa tantum pluit ilice glandis.
Ipſi per medias acies, inſignibus alis,
Ingentes animos anguſto in pectore verſant:
Vſque adeo obnixi non cedere, dum gravis aut hos,
Aut hos, verſa fuga victor dare terga ſubegit.
Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta,
Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcent.
112. Ipſe thymum, pinoſque ferens de montibus altis,
Tecta ferat late circum, cui talia curæ:

Ipſe labore manum duro terat: ipſe feraces
Figat humo plantas, & amicos irriget imbres.
Atque equidem, extremo ni jam ſub fine laborum
Vela traham, & terris feſtinem advertere proram;
Forſitan & pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem; biferique roſaria Pæſti;
Quoque modo potis gauderent intyba rivis,
Et virides apio ripæ; tortuſque per herbam
Creſceret in ventrem cucumis; nec ſera comantem
Narciſſum, aut flexi tacuiſſem vimen acanthi,
Pallenteſque hederas, & amantes littora myrtos.
Namque ſub Oebaliæ memini me turribus altis,
Qua niger humectat flaventia culta Galeſus,
Corycium vidiſſe ſenem, cui pauca relicti
Jugera ruris erant; nec fertilis illa juvencis,
Nec pecori opportuna ſeges, nec commoda Baccho.
Hic rarum tamen in dumis olus, albaque circum
Lilia, verbenaſque premens, veſcumque papaver,
Regum æquabat opes animis: ſeraque revertens
Nocte domum, dapibus menſas onerabat inemptis.
Primus vere roſam, atque autumno carpere poma:
Et cum triſtis hyems etiam nunc frigore ſaxa
Rumperet, & glacie curſus frænaret aquarum;
Ille comam mollis jam tum tondebat acanthi,
Aeſtatem increpitans ſeram, Zephyroſque morantes.
Ergo apibus fœtis idem, atque examine multo
Primus abundare, & ſpumantia cogere preſſis
Mella favis: illi tiliæ, atque uberrima pinus;
Quotque in flore novo pomis ſe fertilis arbos
Induerat, totidem autumno matura tenebat.
Ille etiam ſeras in verſum diſtulit ulmos,

Eduramque pyrum, & ſpinos jam pruna ferentes,
Jamque miniſtrantem platanum potantibus umbras.
Verum hæc ipſe equidem ſpatiis excluſus iniquis,
Prætereo, atque aliis poſt me memoranda relinquo.
Nunc age, naturas, apibus quas Jupiter ipſe
Addidit, expediam: pro qua mercede canoros
Curetum ſonitus, crepitantiaque æra ſecutæ,
Dictæo cœli regem pavere ſub antro.
Solæ communes natos, conſortia tecta
Vrbis habent, magniſque agitant ſub legibus ævum:
Et patriam ſolæ, & certos novere penates:
Venturæque hyemis memores, æſtate laborem
Experiuntur, & in medium quæſita reponunt.
Namque aliæ victu invigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra ſepta domorum
Narciſſi lacrymam, & lentum de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina; deinde tenaces
Suſpendunt ceras: aliæ, ſpem gentis, adultos
Educunt fœtus: aliæ puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas.
Sunt, quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti,
Inque vicem ſpeculantur aquas, & nubila cœli;
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus a præſepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
Ac veluti lentis Cyclopes fulmina maſſis
Cum properant, alii taurinis follibus auras
Accipiunt, redduntque: alii ſtridentia tingunt
Aera lacu: gemit impoſitis incudibus Aetna:
Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe ferrum:
Non

Non aliter (ſi parva licet componere magnis)
Cecropias innatus apes amor urget habendi,
Munere quamque ſuo. 560. Hæc cecini dum Cæſar ad altum
Fulminat Euphratem bello, victorque volentes
Per populos dat jura, viamque affectat Olympo.
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, ſtudiis florentem ignobilis oti:
Carmina qui luſi paſtorum, audaxque juventa,
Tityre, te patulæ cecini ſub tegmine fagi.

EX AENEIDOS
LIBRO PRIMO.

Verſ. 5.

Arma, virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lavinaque venit
Littora: multum ille & terris jactatus, & alto,
Vi Superum, ſævæ memorem Junonis ob iram.
Multa quoque & bello paſſus, dum conderet urbem,
Inferretque Deos Latio: genus unde Latinum,
Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.
Muſa, mihi cauſas memora; quo numine læſo,
Quidve dolens Regina Deum, tot volvere caſus
Inſignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit: Tantæne animis cæleſtibus iræ?
Vrbs antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)
Carthago, Italiam contra, Tiberinaque longe
Oſtia, dives opum, ſtudiiſque aſperrima belli:
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Poſthabita coluiſſe Samo: hic illius arma,

Hic

Hic currus fuit: hoc regnum Dea gentibus eſſe,
Si qua fata ſinant, jam tum tenditque, fovetque.
Progeniem ſed enim Trojano a ſanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populum late regem, belloque ſuperbum
Venturum excidio Libyæ: ſic volvere Parcas.
Id metuens, veteriſque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro caris geſſerat Argis,
Necdum etiam cauſæ irarum, ſævique dolores
Exciderant animo: manet alta mente repoſtum
Judicium Paridis, ſpretæque injuria formæ,
Et genus inviſum, & rapti Ganymedis honores.
Hic accenſa ſuper, jactatos æquore toto
Troas, relliquias Danaum, atque immitis Achilli,
Arcebat longe Latio, multoſque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
Tantæ molis erat Romanam condere gentem!
Vix e conſpectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, & ſpumas ſalis ære ruebant:
Cum Juno, æternum ſervans ſub pectore vulnus,
51. Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Auſtris,
Aeoliam venit. Hic vaſto rex Aeolus antro
Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.
Illi indignantes magno cum murmure, montis
Circum clauſtra fremunt: celſa ſedet Aeolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos, & temperat iras.
Ni faciat, maria, ac terras, cœlumque profundum,
Quippe ferant rapidi ſecum, verrantque per auras.
Sed Pater omnipotens ſpeluncis abdidit atris,

Hoc

Hoc metuens; molemque & montes inſuper altos
Impoſuit: regemque dedit, qui fœdere certo
Et premere, & laxas ſciret dare juſſus habenas.
Ad quem tum Juno ſupplex his vocibus uſa eſt:
Aeole, (namque tibi Divum pater, atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento)
Gens inimica mihi Thyrrenum navigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victoſque Penates.
Incute vim ventis, ſubmerſaſque obrue puppes:
Aut age diverſas, & disjice corpora Ponto.
80. Aeolus hæc contra: Tuus, o Regina, quid optes
Explorare labor; mihi juſſa capeſſere fas eſt.
Hæc ubi dicta, cavum converſa cuſpide montem
Impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a ſedibus imis
Vna Euruſque, Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus; & vaſtos volvunt ad littora fluctus.
Inſequitur clamorque virum, ſtridorque rudentum.
Eripiunt ſubito nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.
Intonuere poli: & crebris micat ignibus æther.
Præſentemque viris intentant omnia mortem.
102. (Vndique turbatur.) Stridens Aquilone procella
Velum adverſa ferit, fluctuſque ad ſidera tollit.
Franguntur remi; tum prora avertit, & undis
Dat latus: inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.
Hi ſummo in fluctu pendent: his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit: furit æſtus arenis.
Tres Notus abreptas in ſaxa latentia torquet:

Saxa

Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, aras,
Dorſum immane mari ſummo: tres Eurus ab alto
In brevia, & Syrtes urget (miſerabile viſu)
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.
Vnam quæ Lycios, fidumque vehebat Orontem,
Aeneæ ante oculos, ingens a vertice pontus
In puppim ferit: excutitur, pronuſque magiſter
Volvitur in caput: aſt illum ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.
Apparent rari nantes in jurgite vaſto,
Arma virûm, tabulæque, & Troïa gaza per undas.
Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ,
Et qua vectus Abas, & qua grandævus Alethes,
Vicit hyems: laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimiſque fatiſcunt.
Interea magno miſceri murmure Pontum,
Emiſſamque hyemem ſenſit Neptunus, & imis
Stagna refuſa vadis: graviter commotus, & alto
Proſpiciens, ſumma placidum caput extulit unda.
Disjectam Aeneæ toto videt æquore claſſem,
Fluctibus oppreſſos Troas, cœlique ruina.
Nec latuere doli fratrem Junonis, & iræ.
Eurum ad ſe, Zephyrumque vocat; dehinc talia fatur:
Tantane vos generis tenuit fiducia veſtri?
Jam cœlum terramque meo ſine numine, venti,
Miſcere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego.... Sed motos præſtat componere fluctus.
146. Sic ait; & dicto citius tumida æquora placat,
Collectaſque fugat nubes, Solemque reducit.
161. Defeſſi Aeneadæ, quæ proxima littora, curſu
Contendunt petere, & Lybiæ vertuntur ad oras.

170. Huc ſeptem Aeneas collectis navibus omni
Ex numero ſubit; ac magno telluris amore
Egreſſi, optata potiuntur Troës arena,
Et ſale tabentes artus in littore ponunt.
Ac primum ſilicis ſcintillam excudit Achates,
Suſcepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma
Expediunt, feſſi rerum: frugeſque receptas
Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo.
Aeneas ſcopulum interea conſcendit, & omnem
Proſpectum late pelago petit, Anthea ſi qua
Jactatum vento videat, Phrygiaſque biremes,
Aut Capyn, aut celſis in puppibus arma Caïci.
Navem in conſpectu nullam, tres littore cervos
Proſpicit errantes: hos tota armenta ſequuntur
A tergo, & longum per valles paſcitur agmen.
Conſtitit hic, arcumque manu, celereſque ſagittas
Corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates:
Ductoreſque ipſos primum, capita alta ferentes,
Cornibus arboreis ſternit; tum vulgus, & omnem
Miſcet: agens telis nemora inter frondea turbam:
Nec prius abſiſtit, quam ſeptem ingentia victor
Corpora fundat humi, & numerum cum navibus
æquet.
198. Hinc portum petit, & ſocios partitur in omnes.
Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Aceſtes,
Littore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros,
Dividit, & dictis mœrentia pectora mulcet.
210. Illi ſe prædæ accingunt, dapibuſque futuris:
Tergora diripiunt coſtis & viſcera nudant.

Pars in fruſta ſecant; verubuſque trementia figunt;
Littore ahena locant alii, flammaſque miniſtrant.
Tum victu revocant vires; fuſique per herbam,
Implentur veteris Bacchi, pinguiſque ferinæ.
309. At pius Aeneas per noctem plurima volvens,
Vt primum lux alma data eſt, exire, locoſque
Explorare novos, quas vento acceſſerit oras,
Qui teneant (nam inculta videt) homineſ-ne, feræne,
Quærere conſtituit, ſociiſque exacta referre.
Claſſem in convexo nemorum, ſub rupe cavata,
Arboribus clauſam circum, atque horrentibus umbris,
Occulit: ipſe uno graditur comitatus Achate,
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.
369. Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
Mœnia, ſurgentemque novæ Carthaginis arcem.
422. Corripuere viam interea qua ſemita monſtrat.
Jamque aſcendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet, adverſaſque aſpectat deſuper arces.
Miratur molem Aeneas, magalia quondam:
Miratur portas, ſtrepitumque, & ſtrata viarum.
443. Infert ſe ſeptus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miſcetque viris, neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media, lætiſſimus umbra.
450. Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum, & numine Divæ.
Aerea cui gradibus ſurgebant limina, nexæque
Aere trabes: foribus cardo ſtridebat ahenis.
Hoc primum in luco nova res oblata timorem
Leniit; hic primum Aeneas ſperare ſalutem
Auſus, & afflictis melius confidere rebus.
Namque ſub ingenti luſtrat dum ſingula templo.

Reginam opperiens; dum quæ fortuna ſit urbi,
Artificumque manus inter ſe, operumque labores
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque jam fama totum vulgata per orbem:
Atridas, Priamumque, & ſævum ambobus Achillem.
Conſtitit, & lacrymans: Quis jam locus, inquit, Achate,
Quæ regio in terris noſtri non plena laboris?
En Priamus: ſunt hic etiam ſua præmia laudi:
Sunt lacrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt.
Solve metus, feret hæc aliquam tibi fama ſalutem.
Sic ait, atque animum pictura paſcit inani,
Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.
498. Hæc cum Dardanio Aeneæ miranda videntur,
Dum ſtupet, obtutuque hæret defixus in uno;
Regina ad templum forma pulcherrima Dido
Inceſſit, magna juvenum ſtipante caterva.
508. Per medios inſtans operi, regniſque futuris,
511. Jura dabat, legeſque viris, operumque laborem
Partibus æquabat juſtis, aut ſorte trahebat.
Cum ſubito Aeneas concurſu accedere magno
Anthea, Sergeſtumque videt, fortemque Cloanthum,
Teucrorumque alios: ater quos æquore turbo
Diſpulerat, penituſque alias advexerat oras.
Obſtupuit ſimul ipſe, ſimul perculſus Achates,
Lætitiaque metuque avidi conjungere dextras
Ardebant: cunctis nam lecti navibus ibant,
Orantes veniam, & templum clamore petebant.
565. Tum breviter Dido, vultum demiſſa, profatur:
Solvite corde metum, Teucri, ſecludite curas.
579. Atque utinam rex ipſe, Noto compulſus eodem,
Afforet Aeneas! equidem per littora certos

Dimittam, & Libyæ luſtrare extrema jubebo,
Si quibus ejectus ſylvis, aut urbibus errat.
His animum arrecti dictis, & fortis Achates,
Et pater Aeneas, jamdudum erumpere nubem
Ardebant. (Hic tum): Quem quæritis adſum
Troïus Aeneas, Libycis ereptus ab undis.
O ſola infandos Trojæ miſerata labores!
607. Dî tibi, ſi qua pios reſpectant numina, ſi quid
Vſquam juſtitiæ eſt, & mens ſibi conſcia recti;
Præmia digna ferant: quæ te tam læta tulerunt
Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Luſtrabunt convexa, polus dum ſidera paſcet,
Semper honos,nomenque tuum, laudeſque manebunt;
Quæ me cunque vocant terræ. Sic fatus, amicum
Ilionea petit dextra, lævaque Sereſtum,
Poſt alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Obſtupuit primo aſpectu Sidonia Dido,
Caſu deinde viri tanto, & ſic ore locuta eſt.
634. Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.
(Sic ait, &) ſimul Aeneam in regia ducit
Tecta: ſimul Divum templis indicit honorem.
Nec minus interea ſociis ad littora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga ſuum, pingues centum cum matribus agnos:
Munera, lætitiamque Dei.
At domus interior regali ſplendida luxu,
Inſtruitur, mediiſque parant convivia tectis.
Arte laboratæ veſtes, oſtroque ſuperbo:
Ingens argentum menſis, cælataque in auro
Fortia facta patrum, ſeries longiſſima rerum,

Per tot ducta viros antiqua ab origine gentis.
Aeneas, (neque enim patrius conſiſtere mentem
Paſſus amor) rapidum ad naves præmittit Achaten,
Aſcanio ferat hæc, ipſumque ad mœnia ducat.
Omnis in Aſcanio cari ſtat cura parentis.
Munera præterea Iliacis erepta ruinis
Ferre jubet: pallam ſignis auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho.
701. Cum venit, aulæis jam ſe Regina ſuperbis
Aurea compoſuit ſponda, mediamque locavit.
Jam pater Aeneas, & jam Trojana juventus
Conveniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro.
Dant manibus famuli lymphas, Cereremque caniſtris
Expediunt, tonſiſque ferunt mantilia villis.
Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere Penates.
Centum aliæ, totidemque pares ætate miniſtri,
Qui dapibus menſas onerent, & pocula ponant.
Necnon & Tyrii per limina læta frequentes.
Convenere, toris juſſi diſcumbere pictis.
Mirantur dona Aeneæ, mirantur Iulum.
727. Poſtquam prima quies epulis, menſæque remotæ,
Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant.
Fit ſtrepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria: dependent lycni laquearibus aureis
Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.
Hic Regina gravem gemmis, auroque popoſcit,
Implevitque mero pateram: quam Belus, & omnes
A Belo ſoliti: tum facta ſilentia tectis:
Jupiter, (hoſpitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc lætum Tyriiſque Diem, Trojaque profectis

Eſſe velis, noſtroſque hujus meminiſſe minores.
Adſit lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno!
Et vos o cœtum Tyrii celebrate ſaventes,
Dixit, & in menſa laticum libavit honorem,
Primaque libato ſummo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans: ille impiger hauſit
Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro.
Poſt, alii proceres: cithara crinitus Iopas
Perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Soliſque labores:
Vnde hominum genus & pecudes, unde imber & ignes.
Ingeminant plauſum Tyrii, Troëſque ſequuntur.
751. At Dido vario noctem ſermone trahebat,
Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa:
Nunc quibus Auroræ veniſſet filius armis:
Nunc quales Diomedis equi: nunc quantus Achilles.
Imo age, & a prima dic, hoſpes, origine nobis
Inſidias, inquit, Danaum, caſuſque tuorum,
Erroreſque tuos: nam te jam ſeptima portat
Omnibus errantem terris & fluctibus, æſtas.

EX LIBRO SECVNDO.

V. 1.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.
Inde toro pater Aeneas ſic orſus ab alto:
Infandum, Regina, jubes renovare dolorem;
Trojanas ut opes, & lamentabile regnum
Eruerint Danai, quæque ipſe miſerrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando,
Myrmidonum, Dolopumve, aut duri miles Vliſſei,

Temperet a lacrymis? Et jam nos humida cœlo
Præcipitat, suadente cadentia sidera somnos.
Sed si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et breviter Trojæ supremum audire laborem;
Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit,
Incipiam. Fracti bello, fatisque repulsi
Ductores Danaum, tot jam labentibus annis,
Instar montis equum divina Palladis arte
Aedificant, sectaque intexunt abiete costas,
Votum pro reditu simulant: ea fama vagatur.
Huc delecta virum sortiti corpora furtim
Includunt cœco lateri, penitusque cavernas
Ingentes, uterumque armato milite complent.
Est in conspectu Tenedos notissima fama
Insula; dives opum, Priami dum regna manebant:
Nunc tantum sinus, & statio male fida carinis.
Huc se provecti deserto in littore condunt:
Nos abiisse rati, & vento petiisse Mycenas.
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu:
Panduntur portæ: juvat ire, & Dorica castra,
Desertosque videre locos, littusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles:
Classibus hic locus, hic acies certare solebant.
Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ,
Et molem mirantur equi: primusque Thymœtes
Duci intra muros hortatur, & arce locari:
Sive dolo, seu jam Trojæ sic fata ferebant.
57. Ecce, manus juvenem interea post terga revinctum
Pastores magno ad Regem clamore trahebant

Dar-

Dardanidæ: qui ſe ignotum venientibus ultro,
Hoc ipſum ut ſtrueret, Trojamque aperiret Achivis,
Obtulerat: fidens animi, atque in utrumque paratus,
Seu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti.
Vndique viſendi ſtudio Trojana juventus
Circumfuſa ruit, certantque illudere capto.
Accipe nunc Danaum inſidias; & crimine ab uno
Diſce omnes.
Namque, ut conſpectu in medio turbatus, inermis
Conſtitit, atque oculis Phrygia agmina circumſpexit:
Heu! quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere? aut quid jam miſero mihi denique reſtat?
Cui neque apud Danaos uſquam locus: inſuper ipſi
Dardanidæ infenſi pœnas cum ſanguine poſcunt?
Quo gemitu converſi animi, compreſſus & omnis
Impetus: hortamur fari, quo ſanguine cretus,
Quidve ferat memoret; quæ ſit fiducia capto.
Ille hæc, depoſita tandem formidine, fatur:
Cuncta equidem tibi, Rex, fuerint quæcumque, fatebor
Vera, inquit; neque me Argolica de gente negabo,
Hoc primum: nec, ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam, mendacemque improba finget.
Fando aliquid, ſi forte tuas pervenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, & inclyta fama
Gloria: quem falſa ſub proditione Pelaſgi
Inſontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demiſere neci; nunc caſſum lumine lugent:
Illi me comitem, & conſanguinitate propinquum
Pauper in arma pater primis huc miſit ab annis.
Dum ſtabat regno incolumis, regnumque vigebat
Conſiliis; & nos aliquod nomenque decuſque

Gessimus. Invidia postquam pellacis Vlissei
(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris:
Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et casum insontis mecum indignabar amici.
Nec tacui demens: & me, fors si qua tulisset,
Si patrios unquam remeassem victor ad Argos,
Promisi ultorem, & verbis odia aspera movi.
Hinc mihi prima mali labes: hinc semper Vlysses
Criminibus terrere novis: hinc spargere voces
In vulgum ambiguas, & quærere conscius arma,
Nec requievit enim, donec Calchante ministro. . .
Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata revolvo?
Quidve moror? si omnes uno ordine habetis Achivos,
Idque audire sat est; jamdudum sumite pœnas.
Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.
Tum vero ardemus scitari, & quærere causas,
Ignari scelerum tantorum, artisque Pelasgæ.
Prosequitur pavitans, & ficto pectore fatur:
Sæpe fugam Danai Troja cupiere relicta
Moliri, & longo fessi discedere bello.
Fecissentque utinam! Sæpe illos aspera ponti
Interclusit hyems, & terruit Auster euntes.
Præcipue cum jam hic trabibus contextus acernis
Staret equus, toto sonuerunt Aethere nimbi.
Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi
Mittimus: isque adytis hæc tristia dicta reportat:
Sanguine placastis ventos, & virgine cæsa,
Cum primum Iliacas, Danai, venistis ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum
Argolica. Vulgi quæ vox ut venit ad aures,
Obstupuere animi, gelidusque per ima cucurrit

Oſſa tremor, cui fata parent, quem poſcat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios, quæ ſint ea numina Divum
Flagitat: & mihi jam multi crudele canebant
Artificis ſcelus, & taciti ventura videbant.
Bis quinos ſilet ille dies, tectuſque recuſat
Prodere voce ſua quenquam, aut opponere morti.
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Compoſito rumpit vocem, & me deſtinat aræ.
Aſſenſere omnes: &, quæ ſibi quiſque timebat,
Vnius in miſeri exitium converſa tulere.
Jamque dies infanda aderat: mihi ſacra parari,
Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.
Eripui (fateor) letho me, & vincula rupi,
Limoſoque lacu per noctem obſcurus in ulva
Delitui, dum vela darent, ſi forte dediſſent.
Nec mihi jam patriam antiquam ſpes ulla videndi:
Nec dulces natos, exoptatumque parentem:
Quos illi fors ad pœnas ob noſtra repoſcent
Effugia, & culpam hanc miſerorum morte piabunt.
Quod te, per Superos, & conſcia numina veri,
Per, ſi qua eſt, quæ reſtat adhuc mortalibus uſquam
Intemerata fides, oro: miſerere laborum
Tantorum: miſerere animi non digna ferentis.
His lacrymis vitam damus, & miſereſcimus ultro.
Ipſe viro primus manicas, atque arcta levari
Vincla jubet Priamus, dictiſque ita fatur amicis!
Quiſquis es, amiſſos hinc jam obliviſcere Grajos:
Noſter eris: mihique hæc ediſſere vera roganti:
Quo molem hanc immanis equi ſtatuere? quis auctor?
Quidve petunt? quæ relligio, aut quæ machina belli?
Dixe-

Dixerat. Ille dolis inſtructus, & arte Pelaſga,
Suſtulit exutas vinclis ad ſidera palmas.
Vos æterni ignes, & non violabile veſtrum
Teſtor numen, ait: vos aræ, enſeſque nefandi,
Quos fugi; vittæque Deum, quas hoſtia geſſi:
Fas mihi Graiorum ſacrata reſolvere jura;
Fas odiſſe viros, atque omnia ferre ſub auras,
Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus ullis.
Tu modo promiſſis maneas, ſervataque ſerves,
Troja fidem: ſi vera feram, ſi magna rependam.
Omnis ſpes Danaum, & cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis ſemper ſtetit. Impius ex quo
Tydides ſed enim ſcelerumque inventor Vlyſſes,
Fatale aggreſſi ſacrato avellere templo
Palladium, cæſis ſummæ cuſtodibus arcis,
Corripuere ſacram effigiem, manibuſque cruentis
Virgineas auſi Divæ contingere vittas:
Ex illo fluere, ac retro ſublapſa referri
Spes Danaum: fractæ vires, averſa Deæ mens.
Nec dubiis ea ſigna dedit Tritonia monſtris.
Vix poſitum caſtris ſimulacrum, arſere coruſcæ
Luminibus flammæ arrectis, ſalſuſque per artus
Sudor iit, terque ipſa ſolo (mirabile dictu)
Emicuit, parmamque ferens haſtamque trementem.
Extemplo tentanda fuga canit æquora Calchas:
Nec poſſe Argolicis exſcindi Pergama telis;
Omina ni repetant Argis, numenque reducant,
Quod pelago & curvis ſecum advexere carinis.
Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenas;
Arma Deoſque parant comites, pelagoque remenſo
Improviſi aderunt: ita digerit omnia Calchas.

Hanc

Hanc pro Palladio moniti, pro numine læſo,
Effigiem ſtatuere, nefas quæ triſte piaret.
Hanc tamen immenſam Calchas attollere molem
Roboribus textis, cœloque educere juſſit:
Ne recipi portis, aut duci in mœnia poſſit;
Neu populum antiqua ſub relligione tueri.
Nam ſi veſtra manus violaſſet dona Minervæ;
Tum magnum exitium (quod Dî prius omen in ipſum
Convertant) Priami imperio, Phrygibuſque futurum:
Sin manibus veſtris veſtram aſcendiſſet in urbem:
Vltro Aſiam magno Pelopeia ad mœnia bello
Venturam, & noſtros ea fata manere nepotes.
Talibus inſidiis, perjurique arte Sinonis,
Credita res: captique dolis, lacrymiſque coactis;
Quos neque Tydides, nec Lariſſæus Achilles,
Non anni domuere decem, non millæ carinæ.
Hic aliud majus miſeris multoque tremendum
Objicitur magis, atque improvida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno ſorte Sacerdos,
Solemnes taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta
(Horreſco referens) immenſis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubæque
Sanguineæ exuperant undas; pars cætera pontum
Pone legit, ſinuatque immenſa volumine terga.
Fit ſonitus ſpumante ſalo: jamque arva tenebant,
Ardenteſque oculos ſuffecti ſanguine & igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Diffugimus viſu exangues: illi agmine certo
Laocoonta petunt, & primum parva duorum

Corpora natorum ſerpens amplexus uterque
Implicat, miſeros morſu depaſcitur artus.
Poſt ipſum auxilio ſubeuntem ac tela ferentem
Corripiunt, ſpiriſque ligant ingentibus: & jam
Bis medium amplexi, bis collo ſquamea circum
Terga dati, ſuperant capite & cervicibus altis.
Ille ſimul manibus tendit divellere nodos,
Perfuſus ſanie vittas atroque veneno,
Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit:
Quales mugitus, fugit cum ſaucius aram
Taurus, & incertam excuſſit cervice ſecurim.
At gemini lapſu delubra ad ſumma dracones
Effugiunt, ſævæque petunt Tritonidis arcem:
Sub pedibuſque Deæ, clypeique ſub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Inſinuat pavor: & ſcelus expendiſſe merentem
Laocoonta ferunt, ſacrum qui cuſpide robur
Læſerit, & tergo ſceleratam intorſerit haſtam.
Ducendum ad ſedes ſimulacrum, orandaque Divæ
Numina conclamant.
Dividimus muros, & mœnia pandimus urbis.
Accingunt omnes operi, pedibuſque rotarum
Subjiciunt lapſus, & ſtuppea vincula collo
Intendunt: ſcandit fatalis machina muros,
Fœta armis: pueri circum, innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent:
Illa ſubit, mediæque minans illabitur urbi.
O patria, o Divum domus Ilium, & inclyta bello
Mœnia Dardanidum! quater ipſo in limine portæ
Subſtitit, atque utero ſonitum quater arma dedere.
Inſtamus tamen immemores, cæcique furore,

Et

Et monſtrum infelix ſacrata ſiſtimus arce.
Nos delubra Deum miſeri, quibus ultimus eſſet
Ille dies, feſta velamus fronte per urbem.
Vertitur interea cœlum, & ruit Oceano nox,
Involvens umbra magna terramque, polumque,
Myrmidonumque dolos: fuſi per mœnia Teucri
Conticuere: ſopor feſſos complectitur artus.
Et jam Archiva phalanx inſtructis navibus ibat
A Tenedo, tacitæ per amica ſilentia lunæ,
Littora nota petens; flammas cum regia puppis
Extulerat; fatiſque Deum defenſus iniquis,
Incluſos utero Danaos, & pinea furtim
Laxat clauſtra Sinon. Illos patefactus ad auras
Reddit equus: lætique cavo ſe robore promunt.
265. Invadunt urbem ſomno vinoque ſepultam.
Cæduntur vigiles; portiſque patentibus omnes
Accipiunt ſocios, atque agmina conſcia jungunt.
298. Diverſo interea miſcentur mœnia luctu.
313. Exoritur clamorque virum, clangorque tubarum.
324. Venit ſumma dies, & ineluctabile tempus
Dardaniæ: fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum: ferus omnia Jupiter Argos
Tranſtulit: incenſa Danai nominantur in urbe.
Arduus armatos mediis in mœnibus aſtans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miſcet
Inſultans: portis alii bipatentibus adſunt,
Millia quot magnis nunquam venere Mycenis.
Obſedere alii telis anguſta viarum
Oppoſiti: ſtat ferri acies mucrone coruſco
Stricta, parata neci: vix primi prælia tentant
Portarum vigiles, & cœco Marte reſiſtunt.

In flammas, & in arma feror: quo triſtis Erynnis,
Quo fremitus vocat, & ſublatus ad æthera clamor.
Addunt ſe ſocios Ripheus, & maximus armis
Iphytus, oblati per lunam, Hypaniſque, Dymaſque,
Et lateri agglomerant noſtro. 358. Per tela, per hoſtes
Vadimus haud dubiam in mortem, mediæque tenemus
Vrbis iter: nox atra cava circumvolat umbra.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut poſſit lacrymis æquare labores?
Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos:
Plurima perque vias ſternuntur inertia paſſim
Corpora, perque domos, & relligioſa Deorum
Limina: nec ſoli pœnas dant ſanguine Teucri:
369. Luctus ubique, pavor. & plurima mortis imago.
396. Vadimus immiſti Danais, haud numine noſtro,
Multaque per cœcam congreſſi prælia noctem
Conſerimus; multos Danaum demittimus Orco.
484. Apparent Priami, & veterum penetralia regum;
Armatoſque vident ſtantes in limine primo.
At domus interior gemitu miſeroque tumultu
Miſcetur: penituſque cavæ plangoribus ædes
Fœmineis ululant: ferit aurea ſidera clamor.
Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent poſtes, aut oſcula figunt:
Inſtat vi patria Pyrrhus: nec clauſtra, nec ipſi
Cuſtodes ſufferre valent: labat ariete crebro
Janua, & emoti procumbunt cardine poſtes.
Fit via vi: rumpunt aditus, primoſque trucidant
Immiſſi Danai, & late loca milite complent.

506.

505. Forſitan & Priami fuerint quæ fata requiras:
526. (Narrabo). Elapſus Pyrrhi de cæde Polites,
Vnus natorum Priami, per tela, per hoſtes,
Porticibus longis fugit, & vacua atria luſtrat
Saucius: illum ardens infeſto vulnere Pyrrhus
Inſequitur: jamjamque manu tenet, & premit haſta.
Vt tandem ante oculos evaſit & ora parentum,
Concidit ac multo vitam cum ſanguine fudit.
(Continuo Priamum Pyrrhus crudelis ad aram)
551. Traxit, (proſtrati) lapſantem in ſanguine nati,
Implicuitque comam læva, dextraque coruſcum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit enſem.
560. Obſtupui: ſubiit cari genitoris imago,
Vt regem æquævum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem: ſubiit deſerta Creüſa,
Et direpta domus, & parvi caſus Iüli.
Reſpicio, &, quæ ſit me circum copia, luſtro.
634. Aſt ubi jam patriæ perventum ad limina ſedis,
Antiquaſque domos; genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montes, primumque petebam,
Abnegat exciſa vitam producere Troja,
Exſiliumque pati: (noſtris tamen ille coactus
Verbis, ad cœlum) 688. Palmas cum voce tetendit.
Iupiter omnipotens, precibus ſi flecteris ullis,
Aſpice nos, hoc tantum, &, ſi pietate meremur.
Da deinde auxilium, pater, atque hæc omnia firma.
701. (Sed ſi fata negant), ſequor, &, qua ducitis, adſum,
Dî patrii, ſervate, domum, ſervate nepotem.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuſo.
Dixerat ille: & jam per mœnia clarior ignis

Auditur, propiusque æstus incendia volvunt.
Ergo age, care pater, cervici imponere nostræ:
Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit:
Quo res cumque cadent, unum & commune periclum,
Vna salus ambobus erit: mihi parvus Iülus
Sit comes, & longe servet vestigia conjux.
Vos famuli, quæ dicam, animis advertite vestris.
Est urbe egressis tumulus, templumque vetustum
Desertæ Cereris, juxtaque antiqua cupressus,
Relligione patrum multos servata per annos:
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates:
Me bello e tanto digressum, & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.
Hæc fatus; latos humeros, subjectaque colla
Veste super, fulvique insternor pelle leonis,
Succedoque oneri: dextræ se parvus Iülus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis.
737. Dum sequor, & nota excedo regione viarum,
Heu (misera) conjux (fortuna) rapta Creüsa est!
747. Ascanium, Anchisenque patrem, Teucrosque Penates
Commendo sociis, & curva valle recondo.
Ipse urbem repeto, & cingor fulgentibus armis.
758. Ilicet ignis edax summa ad vestigia vento
Volvitur; exsuperant flammæ; furit æstus ad auras.
769. Implevi clamore vias; mœstusque Creüsam
Nequicquam ingeminans, iterum iterumque vocavi.
795. Sic demum socios, consumpta nocte, reviso.
Atque hic ingentem comitum affluxisse novorum

Invenio admirans numerum, mareſque, viroſque,
Collectam exſilio pubem, miſerabile vulgus.
Vndique convenere, animis opibuſque parati,
In quaſcunque velim pelago deducere terras.
Jamque jugis ſummæ ſurgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem; Danaique obſeſſa tenebant
Limina portarum: nec ſpes opis ulla dabatur.
Ceſſi, & ſublato montem genitore petivi.

EX LIBRO TERTIO.

Verſ. 1.

Poſtquam res Aſiæ, Priamique evertere gentem
Immeritam, viſum ſuperis, ceciditque ſuperbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja:
Diverſa exſilia, & deſertas quærere terras,
Auguriis agimur Divum: claſſemque ſub ipſa
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ,
Incerti quo fata ferant, ubi ſiſtere detur:
Contrahimuſque viros. Vix prima incœperat æſtas;
Et pater Anchiſes dare fatis vela jubebat.
Littora tum patriæ lacrymans, portuſque relinquo,
Et campos, ubi Troja fuit: feror exſul in altum
Cum ſociis, natoque, Penatibus, & magnis Dîs.
Terra procul vaſtis colitur Mavortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo:
Hoſpitium antiquum Trojæ, ſociique Penates,
Dum fortuna fuit. Feror huc, & littore curvo
Mœnia prima loco, fatis ingreſſus iniquis;
Aeneadaſque meo nomen de nomine fingo.
69. Inde, ubi prima fides pelago, placataque venti
Dant maria, & lenis crepitans vocat Auſter in altum;

Deducunt ſocii naves, & littora complent:
Provehimur portu, terræque, urbeſque recedunt.
Sacra mari colitur medio gratiſſima tellus
Nereïdum matri, & Neptuno Aegæo:
Quam pius Arcitenens, oras & littora circum
Errantem, Mycone celſa Gyaroque revinxit:
Immotamque coli dedit, & contemnere ventos.
Huc feror, hæc feſſos tuto placidiſſima portu
Accipit: egreſſi veneramur Apollinis urbem.
Rex Anius, rex idem hominum, Phœbique Sacerdos,
Vittis & ſacra redimitus tempora lauro,
Occurrit, veterem Anchiſen agnoſcit amicum.
Jungimus hoſpitio dextras, & tecta ſubimus.
Tum genitor. 114. Divum ducunt qua juſſa ſequamur,
Placemus ventos, & Gnoſſia regna petamus:
Nec longo diſtant curſu: (modo Jupiter adſit)
Tertia lux claſſem Cretæis ſiſtet in oris.
Sic fatus, meritos aris mactavit honores,
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo.
124. Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus,
Bacchatamque jugis Naxon, viridemque Donyſam,
Olearon, niveamque Paron, ſparſaſque per æquor
Cyclades, & crebris legimus freta conſita terris.
131. Et tandem antiquis Curetum allabimur oris.
Ergo avidus muros optatæ molior urbis,
Pergameamque voco, lætam cognomine gentem
Hortor amare focos, arcemque attollere tectis.
Jamque fere ſicco ſubductæ littore puppes,
Connubiis, arviſque novis operata juventus:
Jura, domoſque dabam: ſubito cum tabida membris,
Corrupto cœli tractu, miſerandaque venit

Arbo-

Arboribusque, satisque lues, & læthifer annus.
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora: tum steriles exurere Sirius agros:
Arebant herbæ, & victum seges ægra negabat.
Hanc quoque deserimus sedem, paucisque relictis,
Vela damus, vastumque cava trabe currimus æquor.
Postquam altum tenuere rates, nec jam amplius ullæ
Apparent terræ, cœlum undique, & undique pontus:
Tum mihi cæruleus supra caput adstitit imber,
Noctem, hyememque ferens, & inhorruit unda tenebris.
Continuo venti volvunt mare, magnaque surgunt
Aequora: dispersi jactamur gurgite vasto.
Involvere diem nimbi, & nox humida cœlum
Abstulit: ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu, & cæcis erramus in undis.
Ipse diem, noctemque negat discernere cœlo,
Nec meminisse viæ media Palinurus in unda.
Tres adeo incertos cæca caligine soles
Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.
Quarto terra die primum se attollere tandem
Visa, aperire procul montes, ac volvere fumum.
Vela cadunt, remis insurgimus: haud mora, nautæ
Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.
Servatum ex undis Strophadum me littora primum
Accipiunt. Strophades Graïo stant nomine dictæ
Insulæ Ionio in magno, quas dira Celæno,
Harpyæque colunt aliæ: Phineïa postquam
Clausa domus, mensasque metu liquere priores.

Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla
Pestis, & ira Deum Stygiis sese extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida semper
Ora fame.

Huc ubi delati portus intravimus; ecce
Læta boum passim campis armenta videmus,
Caprigenumque pecus, nullo custode per herbam.
Irruimus ferro, & Divos, ipsumque vocamus
In prædam partemque Jovem: tunc littore curvo
Exstruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.
At subito horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas:
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant
Immundo: tum vox tetrum dira inter odorem.
Rursum in secessu longo, sub rupe cavata,
Arboribus clausi circum, atque horrentibus umbris,
Instruimus mensas, arisque reponimus ignem.
Rursum ex diverso cœli, cæcisque latebris,
Turba sonans prædam pedibus circumvolat uncis,
Polluit ore dapes: sociis tunc arma capessant
Edico, & dira bellum cum gente gerendum.
Haud secus ac jussi, faciunt: tectosque per herbam
Disponunt enses, & scuta latentia condunt.
Ergo ubi dilapsæ sonitum per curva dedere
Littora, dat signum specula Misenus ab alta
Aere cavo: invadunt socii, & nova prælia tentant,
Obscœnas pelagi ferro fœdare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo
Accipiunt, celerique fuga sub sidera lapsæ,
Semesam prædam, & vestigia fœda relinquunt.

Vna in præcelſa conſedit rupe Celæno,
Infelix vates, rupitque hanc pectore vocem:
Bellum etiam pro cæde boum, ſtratiſque juvencis,
Laomedontiadæ, bellumne inferre paratis?
Et patrio inſontes Harpyias pellere regno?
Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta.
Quæ Phœbo Pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando.
Italiam curſu petitis, ventiſque vocatis,
Ibitis Italiam, portuſque intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem,
Quam vos dira fames, noſtræque injuria cædis,
Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas.
Dixit, & in ſylvam pennis ablata refugit.
At ſociis ſubita gelidus formidine ſanguis
Diriguit: cecidere animi, nec jam amplius armis,
Sed votis precibuſque jubent expoſcere pacem,
Sive Deæ, ſeu ſint diræ, obſcœnæque volucres.
At pater Anchiſes, paſſis de littore palmis,
Numina magna vocat, meritoſque indicit honores:
Dî, prohibete minas, Dî talem avertite caſum:
Et placidi ſervate pios. Tum littore funem
Diripere, excuſſoſque jubet laxare rudentes.
Tendunt vela noti: fugimus ſpumantibus undis,
Qua curſum ventuſque, gubernatorque vocabant.
Jam medio apparet fluctu nemeroſa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, & Neritos ardua ſaxis.
Effugimus ſcopulos Ithacæ, Laërtia regna,
Et terram altricem ſævi execramur Vliſſei.
Mox & Leucatæ nimboſa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.

Hunc

Hunc petimus feſſi, & parvæ ſuccedimus urbi:
Anchora de prora jacitur; ſtant littore puppes,
Ergo inſperata tandem tellure potiti,
Luſtramurque Jovi, votiſque incendimus aras,
Actiaque Iliacis celebramus littora ludis.
289. Linquere tum portus jubeo, & conſidere tranſtris.
Certatim ſocii feriunt mare, & æquora verrunt.
Protinus aërias Phæacum abſcondimus arces,
Littoraque Epiri legimus, portuque ſubimus
Chaonio, & celſam Buthroti aſcendimus urbem.
Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamidem Helenum Graïas regnare per urbes,
Conjugio Aeacide Pyrrhi, ſceptriſque potitum,
Et patrio Andromachen iterum ceſſiſſe marito.
506. Provehimur pelago, vicina Ceraunia juxta:
Vnde iter Italiam, curſuſque breviſſimus undis.
Sol ruit interea, & montes umbrantur opaci.
521. Jamque rubeſcebat ſtellis aurora fugatis,
Cum procul obſcuros colles, humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates:
Italiam læto ſocii clamore ſalutant.
530. Crebreſcunt optatæ auræ, portuſque pateſcit
Jam propior, templumque apparet in arce Minervæ.
Vela legunt ſocii, & proras ad littora torquent.
544. Palladis armiſonæ, tum numina ſancta precamur.
548. Haud mora: continuo perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obvertimus antennarum:
Grajugenumque domos ſuſpectaque linquimus arva.
Hinc ſinus Herculei, ſi vera eſt fama, Tarenti
Cernitur: attollit ſe diva Lacinia contra,

Cau-

Caulonisque arces, & navifragum Scylacæum.
Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna.
Et gemitum ingentem pelagi, pulsataque saxa
Audimus longe, fractasque ad littora voces.
Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens
Ipse; sed horrificis juxta tonat Aetna ruinis:
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo, & candente favilla;
Attollitque globos flammarum, & sidera lambit:
Interdum scopulos, avulsaque viscera montis
Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæstuat imo.
Fama est, Enceladi semustum fulmine corpus
Vrgeri mole hac, ingentemque insuper Aetnam
Impositam, ruptis flammam exspirare caminis:
Et, fessum quoties motat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cœlum subtexere fumo.
Noctem illam tecti in sylvis immania monstra
Perferimus: nec, quæ sonitum det causa, videmus.
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus æthra
Siderea polus: obscuro sed nubila cœlo,
Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.
Postera jamque dies primo surgebat Eoo,
Humentemque aurora polo dimoverat umbram;
(Circumspectantes) summo cum monte videmus
Ipsum inter pecudes vasta se mole moventem
Pastorem Polyphemum, & littora nota petentem:
Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum;
Trunca manum pinus regit, & vestigia firmat:

Lanigeræ comitantur oves: ea ſola voluptas.
682. Præcipites metus acer agit, quocumque rudentes
Excutere, & ventis intendere vela ſecundis:
Contra juſſa monent Heleni, Scyllam, atque Charybdim;
Inter utramque viam, lethi diſcrimine parvo,
Ni teneant curſus; certum eſt dare lintea retro.
Ecce autem Boreas anguſta a ſede Pelori
Miſſus adeſt: vivo prætervehor oſtia ſaxo
Pantagiæ, Megaroſque ſinus, Tapſumque jacentem.
692. Sicanio prætenta ſinu jacet inſula, contra
Plemmyrium undoſum; nomen dixere priores
Ortygiam. Alpheum fama eſt huc Elidis amnem
Occultas egiſſe vias ſubter mare: qui nunc
Ore, Arethuſa, tuo Siculis confunditur undis.
703. Arduus inde Agragas oſtentat maxima longe
Mœnia, magnanimum quondam generator, equorum:
Teque datis linquo ventis palmoſa Selinus:
Et vada dura lego ſaxis Lilybeïa cæcis.
Hinc Drepani me portus, & illætabilis ora
Accipit: hic pelagi tot tempeſtatibus actus,
Heu! genitorem, omnis curæ, caſusque levamen,
Amitto Anchiſen. Hic me, pater optime, feſſum
Deſeris, heu! tantis necquicquam erepte periclis!
714. Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum.
Hinc me digreſſum veſtris Deus appulit oris.
Sic pater Aeneas intentis omnibus, unus
Fata renarrabat Divum, curſuſque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.

EX LIBRO QVARTO.

Verſ. 281.

Ardet abire fuga, dulceſque relinquere terras.
282. (Migrare admonitus nutu) imperioque Deorum.
581. Idem omnes ſimul ardor habet: rapiuntque, ruuntque:
Littora deſeruere: latet ſub claſſibus æquor:
Annixi torquent ſpumas, & cærula verrunt.

EX LIBRO QVINTO.

Verſ. 1.

Interea medium Aeneas jam claſſe tenebat
Certus iter, fluctusque atros Aquilone ſecabat.

EX LIBRO SEXTO.

Verſ. 2.

Et tandem Euboïcis Cumarum allabitur oris.
Obvertunt pelago proras; tum dente tenaci
Anchora fundabat naves, & littora curvæ
Prætexunt puppes. Juvenum manus emicat ardens
Littus in Heſperium: quærit pars ſemina flammæ
Abſtruſa in venis ſilicis: pars denſa ferarum
Tecta rapit, ſylvas, inventaque flumina monſtrat.
At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo
Præſidet, horrendæque procul ſecreta Sibyllæ,
Antrum immane petit; magnam cui mentem animumque
Delius inſpirat vates, aperitque futura.
901. Tum ſe ad Cajetæ recto fert littore portum.

EX LIBRO SEPTIMO.

Verſ. 8.

Adſpirant auræ in noctem, nec candida curſus
Luna negat: ſplendet tremulo ſub lumine pontus.
25. Jamque rubeſcebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roſeis fulgebat lutea bigis:
Cum venti poſuere, omniſque repente reſedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tonſæ.
Atque hic Aeneas ingentem ex æquore lucum
Proſpicit: hunc inter fluvio Tiberinus amœno,
Vorticibus rapidis, & multa flavus arena,
In mare prorumpit. Variæ circumque ſupraque
Aſſuetæ ripis volucres, & fluminis alveo,
Aethera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Flectere iter ſociis, terræque advertere proras
Imperat, & lætus fluvio ſuccedit opaco.
105. (Hoc) circum late volitans jam fama per urbes
Auſonias tulerat, cum Laomedontia pubes
Gramineo ripæ religavit ab aggere claſſem.
Aeneas, primique duces, & pulcher Iülus
Corpora ſub ramis deponunt arboris altæ.
144. Diditur hic ſubito Trojana per agmina rumor,
Advenisse diem, quo debita mœnia condant,
Certatim inſtaurant epulas, atque omina magno
Crateras læti ſtatuunt, & vina coronant.
Poſtera cum prima luſtrabat lampade terras
Orta dies; urbem, & fines, & littora gentis
Diverſi explorant: hæc fontis ſtagna Numici,
Hunc Tibrim fluvium, hic fortes habitare Latinos.
Tum ſatus Anchiſa, delectos ordine ab omni,

Cen-

Centum oratores augusta ad mœnia Regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes,
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.
Haud mora: festinant jussi, rapidisque feruntur
Passibus. Ipse humili designat mœnia fossa,
Moliturque locum, primasque in littore sedes,
Castrorum in morem, pinnis, atque aggere cingit.
Jamque iter emensi, turres & tecta Latinorum,
Ardua cernebant juvenes, muroque subibant.
Ante urbem pueri, & primævo flore juventus,
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus:
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt.
Cum provectus equo, longævi Regis ad aures
Nuntius ingentes ignota in veste reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Imperat, & solio medius consedit avito.
Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Vrbe fuit summa, Laurentis regia Pici,
Horrendum sylvis, & relligione parentum.
Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasces
Regibus omen erat: hoc illis curia templum:
Hæc sacris sedes epulis: hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro: Italusque, paterque Sabinus,
Vitisator, curvam servans sub imagine falcem;
Saturnusque senex, Janique bifrontis imago,
Vestibulo astabant: aliique ab origine Reges,
Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi.

Mul-

Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque ſecures,
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra,
Spicula, clypeique, ereptaque roſtra carinis.
Ipſe Quirinali lituo, parvaque ſedebat
Succinctus trabea, levaque ancile gerebat
Picus, equûm domitor: quem capta cupidine conjux
Aurea percuſſum virga, verſumque venenis,
Fecit avem Circe, ſparſitque coloribus alas.
Tali intus templo Divum, patriaque Latinus
Sede ſedens, Teucros ad ſeſe in tecta vocavit.
259. Tandem lætus ait: Dî noſtra incœpta ſecundent,
Auguriumque ſuum! dabitur, Trojane, quod optas.
Munera nec ſperno: non vobis, Rege Latino,
Divitis uber agri, Trojæve opulentia deerit.
Ipſe modo Aeneas (noſtri ſi tanta cupido eſt,
Si jungi hoſpitio properat, ſociuſque vocari)
Adveniat, vultus neve exhorreſcat amicos:
Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.
Vos contra regi mea nunc mandata referte.
Eſt mihi nata, viro gentis quam jungere noſtræ,
Non patrio ex adyto ſortes, non plurima cœlo
Monſtra ſinunt: generos externis affore ab oris,
Hoc Latio reſtare canunt, qui ſanguine noſtrum
Nomen in aſtra ferant: hunc illum poſcere fata
Et reor, & ſi quid veri mens augurat, opto.
Hæc effatus, equos numero pater eligit omni,
Stabant ter centum nitidi in præſepibus altis.
Omnibus extemplo Teucris jubet ordine duci
Inſtratos oſtro alipedes, pictiſque tapetis.
Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent,

Te-

Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.
284. Talibus Aeneadæ donis, dictisque Latini,
Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.

Finis excerptorum ex P. Virgilio Marone.

* *

EX
Q. HORATII FLACCI
O D A R V M
LIBRO PRIMO.

I. AD MAECENATEM.

Alios aliis rebus duci; se Lyricorum versuum studio teneri.

Mæcenas, atavis edite regibus,
O & præsidium, & dulce decus meum:
Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat, metaque fervidis
Evitata rotis; palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos:
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus:
Illum, si proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis vertitur areis;
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros, Attalicis conditionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum

Mer-

Mercator metuens, otium & oppidi
Laudat rura ſui: mox reficit rates
Quaſſas, indocilis pauperiem pati.
Eſt qui nec veteris pocula Maſſici,
Nec partem ſolido demere de die
Spernit; nunc viridi membra ſub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput ſacræ.
Multos caſtra juvant, & lituo tubæ
Permiſtus ſonitus, bellaque matribus
Deteſtata. Manet ſub Jove frigido
Venator, teneræ conjugis immemor;
Seu viſa eſt catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marſus aper plagas.
Me doctarum hederæ prœmia frontium
Dîs miſcent ſuperis: me gelidum nemus,
Nympharumque leves cum Satyris chori,
Secernunt populo, ſi neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Leſboum refugit tendere barbiton.
Quod ſi me Lyricis vatibus inſeres,
Sublimi feriam ſidera vertice.

ODE II.

Deos omnes iratos eſſe Romanis ob cædem Cæſaris, totamque Imperii ſpem in uno Auguſto eſſe conſtitutam.

Iam ſatis terris nivis, atque diræ
Grandinis miſit Pater, & rubente
Dextera ſacras jaculatus arces,
Terruit Vrbem.

Terruit gentes, grave ne rediret
Seculum Pyrrhæ, nova monſtra queſtæ,
Omne cum Proteus pecus egit altos
Viſere montes:
Piſcium & ſumma genus hæſit ulmo,
Nota quæ ſedes fuerat columbis:
Et ſuperjecto pavidæ natarunt
Aequore damæ.
Vidimus flavum Tiberim, retortis
Littore Etruſco violenter undis,
Ire dejectum monumenta Regis,
Templaque Veſtæ:
Iliæ dum ſe nimium querenti
Jactat ultorem, vagus & ſiniſtra
Labitur ripa, Jove non probante, u-
xorius amnis.
Audiet cives acuiſſe ferrum,
Quo graves Perſæ melius perirent:
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara juventus.
Quem vocet Divum populus ruentis
Imperî rebus? prece qua fatigent
Virgines ſanctæ minus audientem
Carmina Veſtam?
Cui dabit partes ſcelus expiandi
Jupiter? Tandem venias, precamur,
Nube candentes humeros amictus,
Augur Apollo:
Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam Jocus circumvolat, & Cupido:

Sive neglectum genus, & nepotes
Reſpicis Auctor,
Heu, nimis longo ſatiare ludo;
Quem juvat clamor, galeæque leves,
Acer & Marſi peditis cruentum
Vultus in hoſtem.
Sive mutata Juvenem figura
Ales in terris imitaris, almæ
Filius Majæ, patiens vocari
Cæſaris ultor:
Serus in cœlum redeas, diuque
Lætus interſis populo Quirini;
Neve te noſtris vitiis iniquum
Ocyor aura
Tollat. Hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici Pater, atque Princeps;
Neu ſinas Medos equitare inultos,
Te duce, Cæſar.

ODE III. AD NAVEM,

Qua Virgilius Athenas proficiſcens vehebatur.

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida ſidera,
Ventorumque regat pater,
Obſtrictis aliis, præter Iapyga,
Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium: finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et ſerves animæ dimidium meæ.
Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci

Commiſit pelago ratem
  Primus, nec timuit, præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
  Nec triſtes Hyadas, nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Adriæ
  Major, tollere, ſeu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,
  Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
  Infames ſcopulos Acroceraunia?
Nequicquam Deus abſcidit
  Prudens Oceano diſſociabili
Terras; ſi tamen impiæ
  Non tangenda rates tranſiliunt vada.
Audax omnia perpeti
  Gens humana ruit per vetitum nefas:
Audax Iapeti genus
  Ignem fraude mala gentibus intulit.
Poſt ignem ætheria domo
  Subductum, macies, & nova febrium
Terris incubuit cohors:
  Semotique prius tarda neceſſitas
Lethi corripuit gradum.
  Expertus vacuum Dædalus aëra,
Pennis non homini datis.
  Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum eſt:
  Cœlum ipſum petimus ſtultitia; neque
Per noſtrum patimur ſcelus
  Iracunda Jovem ponere fulmina.

ODE IV. AD SESTIVM.

Adventu Veris, & brevitate vitæ nos ad hilaritatem invitari.

Solvitur acris hyems grata vice Veris & Favoni;
Trahuntque ſiccas machinæ carinas:
Ac neque jam ſtabulis gaudet pecus, aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna:
Junctæque Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terræ quem ferunt ſolutæ.
Nunc & in umbroſis Fauno decet immolare Lucis,
Seu poſcat agna, ſive malit hœdos.
Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. O beate Seſti,
Vitæ ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam;
Jam te premet nox, fabulæque Manes,
Et domus exilis Plutonia; quo ſimul mearis,
Non regna vini ſortiere talis.

ODE X. AD LEVCONOEN.

Hodie vivendum, omiſſa futurorum cura.

Tu ne quæſieris (ſcire nefas) quem mihi, quem tibi
Finem Dî dederint, Leuconoë; nec Babylonios
Tentaris numeros, ut melius, quicquid erit, pati;
Seu plures hyemes, ſeu tribuit Jupiter ultimam,
Quæ nunc oppoſitis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum: ſapias, vina liques; & ſpatio brevi

Spem longam reſeces: dum loquimur, fugerit invida
Aetas. Carpe diem, quam minimum credula poſtero.

ODE XX. AD VIRGILIVM.

Vt Quintilii mortem æquo animo ferat.

Quis deſiderio ſit pudor aut modus
Tam cari capitis? Præcipe lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quintilium perpetuus ſopor
Vrget! cui Pudor, & Juſtitiæ ſoror
Incorrupta Fides, nudaque Veritas,
Quando ullum invenient parem?
Multis ille bonis flebilis occidit;
Nulli flebilior, quam tibi, Virgili.
Tu fruſtra pius, heu! non ita creditum,
Poſcis Quintilium Deos.
Quod ſi Threïcio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem;
Non vanæ redeat ſanguis imagini,
Quam virga ſemel horrida
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum; ſed levius fit patientia
Quidquid corrigere eſt nefas.

EX LIBRO SECVNDO.

ODE XI. AD POSTVMVM.

Vt mortem vitet nemini eſſe datum.

Eheu fugaces, Poſtume, Poſtume,
Labuntur anni: nec pietas moram

Rugis, & inſtanti ſenectæ
Afferet, indomitæque morti:
Non, ſi trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrymabilem
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonem, Tityonque triſti
Compeſcit unda, ſcilicet omnibus,
Quicumque terræ munere veſcimur,
Enaviganda, ſive reges,
Sive inopes erimus coloni.
Fruſtra cruento Marte carebimus,
Fractiſque rauci fluctibus Adriæ:
Fruſtra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Auſtrum.
Viſendus ater flumine languido
Cocytus errans, & Danai genus
Infame, damnatuſque longi
Siſyphus Aeolides laboris.
Linquenda tellus, & domus, & placens
Vxor: neque harum, quas colis arborum,
Te, præter inviſas cupreſſos,
Vlla brevem dominum ſequetur.
Abſumet hæres Cæcuba dignior,
Servata centum clavibus, & mero
Tinget pavimentum ſuperbum,
Pontificum potiore cœnis.

ODE XIII. AD GROSPHVM.

Animi tranquillitatem non comparari, niſi cupiditatibus coërcendis.

Otium divos rogat in patenti
Prenſus Aegeo, ſimul atra nubes

 Con-

Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis:
Otium bello furioſa Thrace;
Otium Medi pharetra decori,
Groſphe, non gemmis, neque purpura ve-
nale, nec auro.
Non enim gazæ, neque conſularis
Summovet lictor miſeros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.
Vivitur parvo bene: cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum,
Nec leves ſomnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.
Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa? Quid terras alio calentes
Sole mutamus? Patriæ quis exul
Se quoque fugit?
Scandit æratas vitioſa naves
Cura, nec turmas equitum relinquit,
Ocyor cervis, & agente nimbos
Ocyor Euro.
Lætus in præſens animus, quod ultra eſt,
Oderit curare, & amara læto
Temperet riſu. Nihil eſt ab omni
Parte beatum.
Abſtulit clarum cita mors Achillem;
Longa Tithonum minuit ſenectus:
Et mihi forſan, tibi quod negarit,
Porriget hora.

Te greges centum, Siculæque circum
Mugiunt vaccæ; tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa; te bis Afro
Murice tinctæ
Vestiunt lanæ: mihi parva rura, &
Spiritum Graïæ tenuem Camœnæ
Parca non mendax dedit, & malignum
Spernere vulgus.

ODE XVII. AD MAECENATEM.

Famam sibi æternam fore.

Non usitata, nec tenui ferar
Penna, biformis per liquidum æthera
Vates; neque in terris morabor
Longius; invidiaque major
Vrbes relinquam. Non ego, pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,
Dilecte Mæcenas, obibo;
Nec Stygia cohibebor unda.
Jam jam residunt cruribus asperæ
Pelles: & album mutor in alitem
Superna; nascunturque leves
Per digitos humerosque plumæ.
Jam Dædaleo ocyor Icaro,
Visam gementis littora Bosphori
Syrtesque Getulas canorus
Ales, Hyperboreosque campos.
Me Colchus, &, qui dissimulat metum
Marsæ cohortis, Dacus, & ultimi
Noscent Geloni; me peritus
Discet Iber, Rhodanique potor.

Abſint inani funere næniæ,
Luctuſque turpes, & quærimoniæ:
Compeſce clamorem, ac ſepulchri
Mitte ſupervacuos honores.

EX LIBRO TERTIO.

ODE VIII. AD MERCVRIVM.

Graves pœnas ſævitiæ reddi vel apud inferos.

Mercuri, (nam te docilis magiſtro
Movit Amphion lapides canendo)
Tuque teſtudo, reſonare ſeptem
Callida nervis,
Nec loquax olim, neque grata, nunc &
Divitum menſis, & amica templis;
Dic modos, Lyde quibus obſtinatas
Applicet aures.
Tu potes tigres, comiteſque ſylvas
Ducere, & rivos celeres morari:
Ceſſit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ
Cerberus, quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter, ſanieſque manet
Ore trilingui.
Quin & Ixion, Tityoſque vultu
Riſit invito: ſtetit urna paulum
Sicca, dum grato Danaï puellas
Carmine mulces.
Audiat Lyde ſcelus, atque notas
Virginum pœnas, & inane lymphæ

Dolium fundo pereuntis imo,
Seraque fata,
Quæ manent culpas etiam ſub Orco.
Impiæ, (nam quid potuere majus?)
Impiæ ſponſos potuere duro
Perdere ferro!
Vna de multis, face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendide mendax, & in omne virgo
Nobilis ævum:
Surge, quæ dixit juveni marito,
Surge, ne longus tibi ſomnus, unde
Non times, detur; ſocerum & ſceleſtas
Falle ſorores:
Quæ velut nactæ vitulos leænæ,
Singulos, eheu! lacerant: ego illis
Mollior, nec te feriam, nec intra
Clauſtra tenebo.
Me pater ſævis oneret catenis,
Quod viro clemens miſero peperci;
Me vel extremos Numidarum in agros
Claſſe releget;
I, pedes quo te rapiunt, & auræ,
Dum favet nox, & Venus: i, ſecundo
Omine, & noſtri memorem ſepulchro
Sculpe querelam.

EX LIBRO QVARTO.

ODE II. AD MELPOMENEN.

Illi acceptum refert quod Poëtas inter celebretur.

Quem tu, Melpomene, ſemel
Naſcentem placido lumine videris,

Illum non labor Iſthmius
 Clarabit pugilem, non equus impiger
Curru ducet Achaïco
 Victorem: neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
 Quod Regum tumidas contuderit minas,
Oſtendet Capitolio.
 Sed, quæ Tibur aquæ fertile præfluunt,
Et ſpiſſæ nemorum comæ,
 Fingent Aeolio carmine nobilem.
Romæ, principis urbium,
 Dignatur ſoboles, inter amabiles
Vatum ponere me choros;
 Et jam dente minus mordeor invido.
O teſtudinis aureæ
 Dulcem quæ ſtrepitum, Pieri, temperas!
O mutis quoque piſcibus
 Donatura cycni, ſi libeat, ſonum!
Totum muneris hoc tui eſt,
 Quod monſtror digito prætereuntium,
Romanæ fidicen lyræ;
 Quod ſpiro, & placeo, ſi placeo, tuum eſt.

EX EPODON LIBRO.

ODE II.

Quam bene ſit Agricolis.

Beatus ille, qui procul negotiis,
 Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis,
 Solutus omni fœnore.

Neque

Neque excitatur claſſico miles truci:
  Nec horret iratum mare:
Forum vitat, & ſuperba civium
  Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
  Altas maritat populos;
Inutileſque falce ramos amputans,
  Feliciores inſerit:
Aut, in reducta valle, mugientium
  Proſpectat errantes greges;
Aut preſſa puris mella condit amphoris;
  Aut tondet infirmas oves.
Vel, cum decorum mitibus pomis caput
  Autumnus arvis extulit,
Vt gaudet inſitiva decerpens pyra,
  Certantem & uvam purpuræ,
Qua muneretur te, Priape, & te, pater
  Sylvane, tutor finium!
Libet jacere modo ſub antiqua ilice,
  Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ;
  Queruntur in ſylvis aves;
Conteſque lymphis obſtrepunt manantibus,
  Somnos quod invitet leves.
At, cum tonantis annus hybernis Jovis
  Imbres, niveſque comparat;
Aut trudit acres hinc & hinc multa cane
  Apros in obſtantes plagas:
Aut amite lævi rara tendit retia,
  Turdis edacibus dolos;
Pavidumque leporem, & advenam laqueo gruem,
Jucun-

Jucunda captat præmia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliviſcitur?
Quod ſi pudica mulier in partem juvans
Domum, atque dulces liberos,
(Sabina qualis, aut peruſta ſolibus
Pernicis uxor Appuli)
Sacrum vetuſtis extruat lignis focum,
Laſſi ſub adventum viri,
Claudenſque textis cratibus lætum pecus,
Diſtenta ſiccet ubera,
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemptas apparet;
Non me Lucrina juverint conchylia,
Magiſve rhombus, aut ſcari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare:
Non Afra avis deſcendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Jucundior, quam lecta de pinguiſſimis
Oliva ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis, & gravi
Malvæ ſalubres corpori,
Vel agna feſtis cæſa Terminalibus,
Vel hœdus ereptus lupo.
Has inter epulas, ut juvat paſtas oves
Videre properantes domum!
Videre feſſos vomerem inverſum boves
Colle trahentes languido:
Poſitoſque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares!

Hæc ubi locutus fœnerator Alphius,
Jam jam futurus ruſticus;
Omnem redegit Idibus pecuniam;
Quærit Calendis ponere.

* *

EX Q. HORATII FLACCI SATIRARVM LIBRO PRIMO.

SAT. I. AD MAECENATEM.

Vix eſſe quemquam hominum cui res ſuæ placeant ſatis.

Qui ſit, Mæcenas, ut nemo quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu ſors objecerit, illa
Contentus vivat, laudet diverſa ſequentes?
O fortunati mercatores! gravis armis
Miles ait, multo jam fractus membra labore.
Contra mercator, navim jactantibus Auſtris,
Militia eſt potior. Quid enim? concurritur: horæ
Momento aut cita mors venit, aut victoria læta.
Agricolam laudat juris legumque peritus,
Sub galli cantum conſultor ubi oſtia pulſat.
Ille, datis vadibus, qui rure extractus in urbem eſt,
Solos felices viventes clamat in urbe.
Cætera de genere hoc, adeo ſint multa, loquacem
Delaſſare valent Fabium. Ne te morer, audi
Quo rem deducam. Si quis Deus, En ego, dicat,

Jam faciam quod vultis: eris tu, qui modo miles,
Mercator; tu conſultus modo, ruſticus: hinc vos,
Vos hinc mutatis diſcedite partibus. Eia,
Quid ſtatis? nolint. Atqui licet eſſe beatis.
Quid cauſæ eſt merito quin illis Jupiter ambas
Iratus buccas inflet, neque ſe fore poſthac
Tam facilem dicat, votis ut præbeat aurem?
Præterea, ne ſic, ut qui jocularia, ridens
Percurram: quamquam ridentem dicere verum
Quid vetat? ut pueris olim dant cruſtula blandi
Doctores elementa velint ut diſcere prima:
Sed tamen amoto quæramus ſeria ludo.
Ille gravem duro terram qui vertit aratro,
Perfidus hic caupo, miles, nautæque per omne
Audaces mare qui currunt, hac mente laborem
Seſe ferre, ſenes ut in otia tuta recedant,
Aiunt, cum ſibi ſint congeſta cibaria. Sicut
Parvula, nam exemplo eſt, magni formica laboris
Ore trahit quodcunque poteſt, atque addit acervo
Quem ſtruit, haud ignara ac non incauta futuri.
Quæ, ſimul inverſum contriſtat Aquarius annum,
Non uſquam prorepit, & illis utitur ante
Quæſitis ſapiens: cum te neque fervidus æſtus
Demoveat lucro, neque hyems, ignis, mare, ferrum,
Nil obſtet tibi, dum ne ſit te ditior alter.
Quid juvat immenſum te argenti pondus, & auri,
Furtim defoſſa timidum deponere terra?
Quod ſi comminuas, vilem redigatur ad aſſem.
At, ni id fit, quid habet pulcri conſtructus acervus?
Millia frumenti tua triverit area centum;
Non tuus hoc capiet venter plus quam meus: ut ſi

Reticulum panis, venales inter, onuſto
Forte vehas humero, nihilo plus accipias, quam
Qui nil portarit. Vel dic quid referat intra
Naturæ fines viventi, jugera centum, an
Mille aret? At ſuave eſt ex magno tollere acervo.
Dum ex parvo nobis tantumdem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria noſtris?
Vt, tibi ſi ſit opus liquidi non amplius urna,
Vel cyatho, & dicas: Magno de flumine mallem,
Quam ex hoc fonticulo tantumdem ſumere. Eo fit,
Plenior ut ſi quos delectet copia juſto,
Cum ripa ſimul avulſos ferat Aufidus acer.
At qui tantulo eget, quanto eſt opus, is neque limo
Turbatam haurit aquam, neque vitam amittit in undis.
At bona pars hominum decepta cupidine falſo,
Nil ſatis eſt, inquit: quia tanti, quantum habeas, ſis.
Quid facias illi? Jubeas miſeram eſſe, libenter
Quatenus id facit. Vt quidam memoratur Athenis
Sordidus, ac dives, populi contemnere voces
Sic ſolitus: Populus me ſibilat; at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca:
Tantalus a labris ſit ens fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine, de te
Fabula narratur. Congeſtis undique ſaccis
Indormis inhians, & tanquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.
Neſcis quo valeat nummus, quem præbeat uſum?
Panis ematur, olus, vini ſextarius: adde
Queis humana ſibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem, nocteſque, dieſque,

For-

Formidare malos fures, incendia, ſervos,
Ne te compilent fugientes, hoc juvat? Horum
Semper ego optarim pauperrimus eſſe bonorum.
At ſi condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius caſus lecto te affixit; habes qui
Aſſideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suſcitet, ac reddat gnatis, cariſque propinquis.
Non uxor ſalvum te vult, non filius: omnes
Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellæ.
Miraris, cum tu argento poſt omnia ponas,
Si nemo præſtet, quem non merearis, amorem?
At ſi cognatos, nullo natura labore
Quos tibi dat, retinere velis, ſervareque amicos,
Infelix operam perdas: ut ſi quis aſellum
In campo doceat parentem currere frænis.
Denique ſit finis quærendi: cumque habeas plus,
Pauperiem metuas minus, & finire laborem
Incipias, parto quód avebas: nec facias quod
Vmidius, quidam, non longa eſt fabula, dives,
Vt metiretur nummos; ita ſordidus, ut ſe
Non unquam ſervo melius veſtiret. Ad uſque
Supremum tempus, ne ſe penuria victus
Opprimeret, metuebat. Ad hunc liberta ſecuri
Diviſit medium, fortiſſima Tyndaridarum.
Quid mi igitur ſuades? Vt vivam Mævius? aut ſic
Vt Nomentanus? Pergis pugnantia ſecum
Frontibus adverſis componere. Non ego avarum
Cum veto te fieri, vappam jubeo, ac nebulonem.
Eſt inter Tanaïm quiddam, ſocerumque Viſelli.
Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum.

Illuc, unde abii, redeo. Nemon', ut avarus,
Se probet, ac potius laudet diverſa ſequentes?
Quodque aliena capella gerat diſtentius uber,
Tabeſcat: neque ſe majori pauperiorum
Turbæ comparet; hunc atque hunc ſuperare laboret?
Sic feſtinanti ſemper locupletior obſtat.
Vt, cum carceribus miſſos rapit ungula currus,
Inſtat equis auriga ſuos vincentibus, illum
Præteritum temnens extremos inter euntem.
Inde fit, ut raro, qui ſe vixiſſe beatum
Dicat, & exacto contextus tempore vitæ,
Cedat, uti conviva ſatur, reperire queamus.
Jam ſatis eſt: ne me Criſpini ſcrinia lippi
Compilaſſe putes, verbum non amplius addam.

EX SATIRA III.
LIBRI SECVNDI.

V. 142.

Pauper Opimius argenti poſiti intus, & auri,
Qui Veïentanum feſtis potare diebus
Campana ſolitus trulla, vappamque profeſtis
Quondam lethargo grandi eſt oppreſſus; ut hæres
Jam circum loculos & claves, lætus ovanſque
Curreret. Hunc medicus multum celer, atque fidelis,
Excitat hoc pacto: menſam poni jubet, atque
Effundi ſaccos nummorum; accedere plures
Ad numerandum. Hominem ſic erigit. Addit & illud,
Ni tua cuſtodis, avidus jam hæc auferet hæres.

Men' vivo? ut vivas igitur, vigila: hoc age. Quid vis?
Deficient inopem venæ te, ni cibus, atque
Ingens accedat ſtomacho fultura ruenti.
Tu ceſſas? agedum, ſume hoc ptiſanarium oryzæ.
Quanti emptæ? Parvo. Quanti ergo? Octo aſſibus. Eheu.
Quid refert, morbo, an furtis, pereamne rapinis?

Ibid. EX SAT. VI.

V. 80.

Ruſticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepiſſe cavo, veterem vetus hoſpes amicum;
Aſper, & attentus quæſitis, ut tamen arctum
Solveret hoſpitiis animum. Quid multa: neque illi
Sepoſiti ciceris, nec longæ invidit avenæ:
Aridum & ore ferens acinum, ſemeſaque lardi
Fruſta dedit, cupiens varia faſtidia cœna
Vincere, tangentis male ſingula dente ſuperbo:
Cum pater ipſe domus, palea porrectus in horna
Eſſet ador, loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc: Quid te juvat, inquit, amice,
Prærupti nemoris patientem vivere dorſo?
Vin' tu homines urbemque feris præponere ſylvis?
Carpe viam, mihi crede, comes; terreſtria quando
Mortales animas vivunt ſortita, neque ulla eſt
Aut magno, aut parvo lethi fuga. Quo, bone, circa,
Dum licet, in rebus jucundis vive beatus.
Vive memor quam ſis ævi brevis. Hæc ubi dicta

Agrestem pepulere: domo levis exsilit. Inde
Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
Mœnia nocturni subrepere: jamque tenebat
Nox medium cœli spatium, cum ponit uterque
In locuplete domo vestigia: rubro ubi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos,
Multaque de magna superessent fercula cœna,
Quæ procul extructis inerant hesterna canistris.
Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit
Agrestem; veluti succinctus cursitat hospes,
Continuatque dapes, necnon verniliter ipsis
Fungitur officiis, prælambens omne quod affert.
Ille cubans gaudet mutata sorte, bonisque
Rebus agit lætum convivam: cum subito ingens
Valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
Currere per totum pavidi conclave, magisque
Exanimes trepidare: simul domus alta molossis
Personuit canibus. Tum rusticus: haud mihi vita
Est opus hac, ait; & valeas. Me sylva, cavusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.

EX EPISTOLA VII LIBRI PRIMI.

V. 28.

Forte per angustam tenuis nitedula rimam
Repserat in cumeram frumenti; pastaque rursus
Ire foras pleno tendebat corpore, frustra:
Cui mustela procul: Si vis, ait, effugere istinc,
Macra cavum repetes arctum, quem macra subisti.
Strenuus & fortis, causisque Philippus agendis

Clarus, ab officiis octavam circiter horam
Dum redit, atque foro nimium diſtare Carinas
Jam grandis natu queritur; conſpexit, ut ajunt,
Adraſum quendam vacua tonſoris in umbra
Cultello proprios purgantem leniter ungues,
Demetri, (puer hic non læve juſſa Philippi
Accipiebat) abi, quære & refer; unde domo, quis,
Cujus fortunæ, quo ſit patre, quove patrono.
It, redit, & narrat, Vultejum nomine Menam;
Præconem, tenui cenſu, ſine crimine notum,
Et properare loco, & ceſſare, & quærere, & uti,
Gaudentem parviſque ſodalibus, & Lare certo,
Et ludis, & poſt deciſa negotia, campo.
Scitari libet ex ipſo quodcumque refers: dic
Ad cœnam veniat. Non ſane credere Mena:
Mirari ſecum tacitus. Quid multa: Benigne,
Reſpondet. Negat ille mihi? Negat improbus, & te
Negligit, aut horret. Vultejum mane Philippus
Vilia vendentem tunicato ſcruta popello
Occupat, & ſalvere jubet prior. Ille Philippo
Excuſare laborem, & mercenaria vincla,
Quod non mane domum veniſſet, denique quod non
Providiſſet eum. Sic ignoviſſe putato
Me tibi, ſi cœnas hodie mecum. Vt Libet. Ergo
Poſt nonam venies; nunc i, rem ſtrenuus auge.
Vt ventum ad cœnam eſt; dicenda, tacenda locutus
Tandem dormitum dimittitur. Hic ubi ſæpe
Occultum viſus decurrere piſcis ad hamum,
Mane cliens, & jam certus conviva; jubetur
Rura ſuburbana indictis comes ire Latinis.
Impoſitus mannis, arvum, cœlumque Sabinum

Non ceſſat laudare: videt, ridetque Philippus:
Et, ſibi dum requiem, dum riſus undique quærit,
Dum ſeptem donat ſeſtertia, mutua ſeptem
Promittit, perſuadet uti mercetur agellum.
Mercatur. Ne te longis ambagibus ultra,
Quam ſatis eſt, morer; ex nitido fit ruſticus, atque
Sulcos & vineta crepat mera, præparat ulmos,
Immoritur ſtudiis, & amore ſeneſcit habendi.
Verum ubi oves furto, morbo periere capellæ,
Spem mentita ſeges, bos eſt enectus arando;
Offenſus damnis, media de nocte caballum
Arripit, iratuſque Philippi tendit ad ædes.
Quem ſimul adſpexit ſcabrum intonſumque Philippus;
Durus, ait, Vultei, nimis attentuſque videris
Eſſe mihi. Pol, me miſerum, patrone, vocares,
Si velles, inquit, verum mihi dicere nomen.
Quod te per Genium, dextramque, Deoſque Penates
Obſecro, & obteſtor, vitæ me redde priori.
Qui ſemel aſpexit, quantum dimiſſa petitis
Præſtent, mature redeat, repetatque relicta.
Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede verum eſt.

Ibid. EX EPISTOLA X.

V. 32.

Fuge magna. Licet ſub paupere tecto
Reges, & regum vita præcurrere amicos.
Cervus equum pugna melior, communibus herbis
Pellebat; donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis, frænumque recepit.
Sed poſtquam victor violens diſceſſit ab hoſte,
Non equitem dorſo, non frænum depulit ore.

Sic, qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Serviet æternum, quia parvo neſciet uti.
Cui non conveniet ſua res, ut calceus olim,
Si pede major erit, ſubvertet; ſi minor, uret.

EX EPISTOLA II LIBRI SECVNDI.

Verſ. 128. Fuit haud ignobilis Argis,
Qui ſe credebat miros audire trægœdos,
In vacuo lætus ſeſſor, plauſorque theatro:
Cætera qui vitæ ſervaret munia recto
More, bonus ſane vicinus, amabilis hoſpes,
Comis in uxorem, poſſet qui ignoſcere ſervis,
Et ſigno læſo non inſanire lagenæ,
Poſſet qui rupem & puteum vitare patentem.
Hic ubi cognatorum opibus, curiſque refectus,
Expulit elleboro morbum bilemque meraco,
Et redit ad ſeſe; Pol me occidiſtis, amici,
Non ſervaſtis, ait, cui ſic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratiſſimus error.

* *

Q. HORATII FLACCI DE ARTE POETICA LIBER.

AD PISONES.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere ſi velit, & varias inducere plumas

Vndique collatis membris; ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne;
Spectatum admiſſi riſum teneatis, amici?
Credite, Piſones, iſti tabulæ fore librum
Perſimilem, cujus, velut ægri ſomnia, vanæ
Fingentur ſpecies: ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ. Pictoribus atque Poëtis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.
Scimus, & hanc veniam petimuſque, damuſque viciſſim;
Sed non ut placidis coëant immitia; non ut
Serpentes avibus geminentur, tigribus agni.
Incœptis gravibus plerumque, & magna profeſſis,
Purpureus, late qui ſplendeat, unus, & alter
Aſſuitur pannus: cum lucus, & ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius deſcribitur Arcus.
Sed nunc non erat his locus. Et fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare. Quid hoc, ſi fractis enatat exſpes
Navibus, ære dato qui pingitur? Amphora cœpit
Inſtitui: currente rota, cur urceus exit?
Denique ſit quodvis ſimplex dumtaxat, & unum.
Maxima pars vatum, Pater, & juvenes patre digni,
Decipimur ſpecie recti. Brevis eſſe laboro,
Obſcurus fio. Sectantem levia, nervi
Deficiunt, animique. Profeſſus grandia turget:
Serpit humi, tutus nimium, timiduſque procellæ.
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum ſylvis appingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte.
Aemilium circa ludum faber unus & ungues

Exprimet, & molles imitabitur ære capillos;
Infelix operis ſumma: quia ponere totum
Neſciet. Hunc ego me, ſi quid componere curem,
Non magis eſſe velim, quam pravo vivere naſo,
Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.
Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & verſate diu quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis hæc virtus erit, & venus, aut ego fallor;
Vt jam nunc dicat jam nunc debentia dici,
Pleraque differat, & præſens in tempus omittat.
In verbis etiam tenuis, cautuſque ſerendis.
Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis auctor.
Dixeris egregie, notum ſi callida verbum
Reddiderit junctura novum. Si forte neceſſe eſt
Indiciis monſtrare recentibus abdita rerum;
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturque licentia ſumpta pudenter.
Et nova, fictaque nuper habebunt verba fidem: ſi
Græco fonte cadant, parce detorta. Quid autem
Cæcilio, Plautoque dabit Romanus, ademptum
Virgilio, Varioque? Ego cur acquirere pauca,
Si poſſum, invideor, cum lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit? Licuit, ſemperque licebit,
Signatum præſente nota producere nomen.
Vt ſylvæ foliis pronos mutantur in annos:
Prima cadunt; ita verborum vetus interit ætas;
Et juvenum rite florent modo nata, vigentque.
Debemur morti nos, noſtraque; ſive receptus

Terra Neptunus claſſes Aquilonibus arcet,
Regis opus; ſterilisve diu palus, aptaque remis
Vicinas urbes alit, & grave ſentit aratrum;
Seu curſum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius: mortalia facta peribunt:
Nedum ſermonum ſtet honos, & gratia vivax.
Multa renaſcentur, quæ jam cecidere, cadentque,
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus:
Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.
Res geſtæ regumque, ducumque, & triſtia bella
Quo ſcribi poſſent numero monſtravit Homerus.
Verſibus impariter junctis querimonia primum,
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.
Archilochum proprio rabies armavit ïambo.
Hunc ſocci cepere pedem, grandeſque cothurni,
Alternis aptum ſermonibus, & populares
Vincentem ſtrepitus, & natum rebus agendis.
Muſa dedit fidibus Divos, pueroſque Deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre.
Deſcriptas ſervare vices, operumque colores,
Cur ego, ſi nequeo, ignoroque, Poëta ſalutor?
Cur neſcire, pudens prave, quam diſcere malo?
Verſibus exponi tragicis res comica non vult.
Indignatur item privatis, ac prope ſocco
Dignis carminibus narrari cœna Thyeſtæ.
Singula quæque locum teneant ſortita decenter.
Interdum tamen, & vocem Comœdia tollit:
Iratuſque Chremes tumido delitigat ore;

Et tragicus plerumque dolet ſermone pedeſtri.
Telephus, & Peleus, cum pauper, & exul uterque
Projicit ampullas, & ſeſquipedalia verba:
Si curat cor ſpectantis tetigiſſe querela.
Non ſatis eſt pulchra eſſe poëmata, dulcia ſunto,
Et quocunque volent, animum auditoris agunto.
Vt ridentibus arrident; ita flentibus adflent
Humani vultus. Si vis me flere, dolendum eſt
Primum ipſi tibi: nunc tua me infortunia lædent,
Telephe, vel Peleu: male ſi mandata loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo. Triſtia mœſtum
Vultum verba decent, iratum plena minarum,
Ludentem laſciva, ſeverum ſeria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: juvat aut impellit ad iram:
Aut ad humum mœrore gravi deducit, & angit:
Poſt effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis abſona dicta;
Romani tollent equites, peditesque cachinnum.
Intererit multum Davuſne loquatur, an heros;
Maturuſne ſenex, an adhuc florente juventa
Fervidus, an matrona potens; an ſedula nutrix;
Mercatorne vagus, cultorne virentis agelli;
Colchus, an Aſſyrius; Thebis nutritus, an Argis.
Aut famam ſequere, aut ſibi convenientia finge,
Scriptor. Honoratum ſi forte reponis Achillem;
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, invictaque; flebilis Ino;
Perfidus Ixion; Io vaga; triſtis Oreſtes.
Si quid inexpertum ſcenæ committis; & audes
Per-

Perſonam formare novam: ſervetur ad imum,
Qualis ab incœpto proceſſerit, & ſibi conſtet.
Difficile eſt proprie communia dicere: tuque
Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam ſi proferres ignota, indictaque primus.
Publica materies privati juris erit, ſi
Nec circa vilem, patulumque moraberis orbem;
Nec verbum verbo curabis reddere, fidus
Interpres: nec deſilies imitator in arctum,
Unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.
Nec ſic incipies, ut ſcriptor Cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte?
Dic mihi, Muſa, virum, captæ poſt tempora Trojæ,
Qui mores hominum multorum vidit & urbes.
Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem
Cogitat: ut ſpecioſa dehinc miracula promat,
Antiphaten, Scyllamque, & cum Cyclope Charybdim.
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.
Semper ad eventum feſtinat: & in medias res
Non ſecus, ac notas, auditorem rapit: & quæ
Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit.
Atque ita mentitur, ſi veris falſa remiſcet,
Primo ne medium, medio ne diſcrepet imum.
Tu quid ego, & populus mecum deſideret, audi.
Si plauſoris eges aulæa manentis, & uſque
Seſſuri, donec cantor, Vos, plaudite, dicat;

Aetatis cujuſque notandi ſunt tibi mores,
Mobilibuſque decor naturis dandus, & annis.
Reddere qui voces jam ſcit puer, & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temere, & mutatur in horas.
Imberbis juvenis, tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibuſque, & aprici gramine campi.
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus proviſor, prodigus æris,
Sublimis, cupiduſque & amata relinquere pernix.
Converſis ſtudiis, ætas, animuſque virilis
Quærit opes, & amicitias: inſervit honori:
Commiſiſſe cavet, quod mox mutare laboret.
Multa ſenem circumveniunt incommoda: vel quod
Quærit, & inventis miſer abſtinet, ac timet uti:
Vel quod res omnes timide, gelideque miniſtrat,
Dilator, ſpe longus, iners, paviduſque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, cenſor, caſtigatorque minorum,
Multa ferunt anni venientes commoda ſecum:
Multa recedentes adimunt. Ne forte ſeniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles:
Semper in adjunctis, ævoque morabimur aptis.
Aut agitur res in ſcenis, aut acta refertur.
Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator. Non tamen intus
Digna geri, promes in ſcenam: multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præſens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet;
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus;

Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcunque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.
Neve minor, neu ſit quinto productior actu
Fabula, quæ poſci vult, & ſpectata reponi.
Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Inciderit: nec quarta loqui perſona laboret.
Actoris partes Chorus, officiumque virile
Defendat: neu quid medios intercinat actus,
Quod non propoſito conducat, & hæreat apte.
Ille bonis faveatque, & conſilietur amicis:
Et regat iratos, & amet peccare timentes.
Ille dapes laudet menſæ brevis; ille ſalubrem
Juſtitiam, legeſque, & apertis otia portis.
Ille tegat commiſſa, deoſque precetur, & oret,
Vt redeat miſeris, abeat fortuna ſuperbis.
Tibia non ut nunc orichalco vincta, tubæque
Aemula; ſed tenuis, ſimplexque, foramine pauco
Aſpirare & adeſſe choris erat utilis, atque
Nondum ſpiſſa nimis complere ſedilia flatu.
Quo ſane populus numerabilis, utpote parvus,
Et frugi, caſtuſque, verecunduſque coibat.
Poſtquam cœpit agros extendere victor; & urbem
Latior amplecti murus; vinoque diurno
Placari Genius feſtis impune diebus;
Acceſſit numeriſque, modiſque licentia major.
Indoctus quid enim ſaperet, liberque laborum,
Ruſticus, urbano confuſus, turpis honeſto?
Sic priſcæ motumque, & luxuriam addidit arti
Tibicen; traxitque vagus per pulpita veſtem.
Sic etiam fidibus voces crevere ſeveris:
Et tulit eloquium inſolitum facundia præceps:

Vti-

Vtiliumque ſagax rerum, & divina futuri
Sortilegis non diſcrepuit ſententia Delphis.
Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum,
Mox etiam agreſtes Satyros nudavit: & aſper
Incolumi gravitate jocum tentavit. Eo quod
Illecebris erat, & grata novitate morandus
Spectator, functuſque ſacris, & potus, & exlex.
Verum ita riſores, ita commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere ſeria ludo;
Ne, quicumque Deus, quicunque adhibebitur heros,
Regali conſpectus in auro nuper, & oſtro,
Migret in obſcuras humili ſermone tabernas:
Aut dum vitat humum, nubes, & inania captet.
Effutire leves indigna tragœdia verſus,
Vt feſtis matrona moveri juſſa diebus,
Intererit Satyris paulum pudibunda protervis.
Non ego inornata, & dominantia nomina ſolum,
Verbaque, Piſones, Satyrorum ſcriptor amabo.
Nec ſic enitar tragico differre colori,
Vt nihil interſit Davuſne loquatur, & audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum,
An cuſtos, famuluſque Dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen ſequar: ut ſibi quivis
Speret idem; ſudet multum, fruſtraque laboret
Auſus idem, tantum ſeries, juncturaque pollet:
Tantum de medio ſumptis accedit honoris.
Sylvis deducti caveant, me judice, Fauni,
Ne velut innati triviis, ac pene forenſes,
Aut nimium teneris juvenentur verſibus unquam;
Aut immunda crepent, ignominioſaque dicta.

Offen-

Offenduntur enim, quibus eſt equus, & pater, & res:
Nec, ſi quid fricti ciceris probat, & nucis emptor
Aequis accipiunt animis, donantve corona.
Syllaba longa brevi ſubjecta, vocatur ïambus,
Pes citus: unde etiam trimetris accreſcere juſſit
Nomen ïambeis: cum ſenos redderet ictus,
Primus ad extremum ſimilis ſibi. Non ita pridem,
Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures,
Spondeos ſtabiles in jura paterna recepit
Commodus, & patiens; non ut de ſede ſecunda
Cederet aut quarta ſocialiter. Hic & in Accî
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Ennî.
In ſcenam miſſus magno cum pondere verſus,
Aut operæ celeris nimium, curaque carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poëmata judex:
Et data Romanis venia eſt indigna Poëtis.
Idcircone vager, ſcribamque licenter? an omnes
Viſuros peccata putem mea? tutus, & intra
Spem veniæ cautus. Vitavi denique culpam;
Non laudem merui. Vos exemplaria Græca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.
At noſtri proavi Plautinos & numeros, &
Laudavere ſales: nimium patienter utrumque,
Ne dicam ſtulte, mirati; ſi modo ego, & vos
Scimus in urbanum lepido ſeponere dicto,
Legitimumque ſonum digitis callemus, & aure.
Ignotum tragicæ genus inveniſſe Camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.
Poſt hunc perſonæ, pallæque repertor honeſtæ

Aeſchy-

Aeſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis:
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Succeſſit vetus his comœdia, non ſine multa
Laude: ſed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi. Lex eſt accepta: chorusque
Turpiter obticuit, ſublato jure nocendi.
Nil intentatum noſtri liquere Poëtæ:
Nec minimum meruere decus, veſtigia Græca
Auſi deſerere, & celebrare domeſtica facta,
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret, clariſve potentius armis,
Quam lingua, Latium; ſi non offenderet unum-
Quemque Poëtarum limæ labor, & mora. Vos, o
Pompilius ſanguis, carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coërcuit, atque
Præſectum decies, non caſtigavit ad unguem.
Ingenium miſera quia fortunatius arte
Credit, & excludit ſanos Helicone Poëtas
Democritus; bona pars non ungues ponere curat,
Non barbam; ſecreta petit loca, balnea vitat.
Nanciſcetur enim pretium nomenque Poëtæ,
Si tribus Anticyris caput inſanabile nunquam
Tonſori Licino commiſerit. O ego lævus,
Qui purgor bilem ſub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poëmata. Verum
Nil tanti eſt. Ergo fungar vice cotis: acutum
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.
Munus & officium, nil ſcribens ipſe, docebo:
Vnde parentur opes; quid alat formetque Poëtam;

Quid deceat, quid non; quo virtus, quo ferat error.
Scribendi recte ſapere eſt & principium, & fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ:
Verbaque proviſam rem non invita ſequentur.
Qui didicit, patriæ quid debeat, & quid amicis;
Quo ſit amore parens, quo frater amandus, & hoſpes;
Quo ſit conſcripti, quod judicis officium; quæ
Partes in bellum miſſi ducis; ille profecto
Reddere perſonæ ſcit convenientia cuique.
Reſpicere exemplar vitæ, morumque jubebo
Doctum imitatorem, & veras hinc ducere voces.
Interdum ſpecioſa locis, morataque recte
Fabula, nullius veneris, ſine pondere, & arte,
Validius oblectat populum, meliuſque moratur,
Quam verſus inopes rerum, nugæque canoræ.
Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Muſa loqui, præter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in partes centum deducere. Dicat
Filius Albini. Si de quincunce remota eſt
Vncia, quid ſuperat? poteras dixiſſe, Triens. Eu!
Rem poteris ſervare tuam. Redit uncia, quid fit?
Semis. An hæc animos ærugo, & cura peculi,
Cum ſemel imbuerit, ſperamus carmina fingi
Poſſe linenda cedro, & levi ſervanda cupreſſo?
Aut prodeſſe volunt, aut delectare Poëtæ:
Aut ſimul & jucunda, & idonea dicere vitæ.
Quidquid præcipies, eſto brevis; aut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.
Omne ſupervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis cauſa ſint proxima veris.

Nec quodcunque volet, poſcat ſibi fabula credi:
Neu pranſæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo.
Centuriæ ſeniorum agitant expertia frugis.
Celſi prætereunt auſtera poëmata Rhamnes.
Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque monendo.
Hic meret æra liber Soſiis, hic & mare tranſit;
Et longum noto ſcriptori prorogat ævum.
Sunt delicta tamen, quibus ignoviſſe velimus.
Nam neque chorda ſonum reddit, quem vult manus & mens:
Poſcentique gravem perſæpe remittit acutum:
Nec ſemper feriet quodcunque minabitur arcus.
Verum ubi plura nitent in carmine; non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo?
Vt ſcriptor ſi peccat idem librarius uſque,
Quamvis eſt monitus, venia caret; & citharœdus
Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem:
Sic mihi, qui multum ceſſat, fit Chœrilus ille,
Quem bis, terque bonum, cum riſu miror: & idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus.
Verum opere in longo fas eſt obrepere ſomnum.
Vt pictura, poëſis erit quæ, ſi propius ſtes,
Te capiet magis; & quædam, ſi longius abſtes,
Hæc amat obſcurum: volet hæc ſub luce videri,
Judicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit ſemel: hæc decies repetita placebit.
O major juvenum, quamvis & voce paterna
Fingeris ad rectum, & per te ſapis, hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium & tolerabile rebus

Recte concedi. Conſultus juris, & actor
Cauſarum mediocris, abeſt virtute deſerti
Meſſalæ, nec ſcit quantum Caſcellius Aulus;
Sed tamen in pretio eſt. Mediocribus eſſe Poëtis
Non homines, non Dî, non conceſſere columnæ.
Vt gratas inter menſas ſymphonia diſcors,
Et craſſum unguentum, & Sardo cum melle papaver,
Offendunt; poterat duci quia cœna ſine iſtis:
Sic animis natum inventumque poëma juvandis,
Si paulum ſummo diſceſſit, vergit ad imum.
Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis:
Indoctuſque pilæ, diſcive, trochive quieſcit,
Ne ſpiſſæ riſum tollant impune coronæ:
Qui neſcit, verſus tamen audet fingere. Quidni?
Liber & ingenuus, præſertim cenſus equeſtrem
Summam nummorum, vitioque remotus ab omni.
Tu nihil invita dices, facieſve Minerva:
Id tibi judicium eſt, ea mens. Si quid tamen olim
Scripſeris, in Metî deſcendat judicis aures,
Et patris, & noſtras, nonumque prematur in annum.
Membranis intus poſitis, delere licebit
Quod non edideris. Neſcit vox miſſa reverti.
Sylveſtres homines ſacer, interpreſque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus.
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidoſque leones.
Dictus & Amphion, Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet. Fuit hæc ſapientia quondam,
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Sic honor, & nomen divinis Vatibus, atque
Carminibus venit. Poſt hos inſignis Homerus,
Tyrtæuſque mares animos in Martia bella
Verſibus exacuit. Dictæ per carmina ſortes:
Et vitæ monſtrata via eſt: & gratia regum
Pieriis tentata modis, luduſque repertus,
Et longorum operum finis: ne forte pudori
Sit tibi Muſa lyræ ſolers, & cantor Apollo.
Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt. Ego nec ſtudium ſine divite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.
Qui ſtudet optatam curſu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, ſudavit & alſit,
Abſtinuit (menſa) & vino, Qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitque magiſtrum.
Nunc ſatis eſt dixiſſe, Ego mira poëmata pango:
Occupet extremum ſcabies: mihi turpe relin-
qui eſt,
Et, quod non didici, ſane neſcire fateri.
Vt præco ad merces turbam qui cogit emendas,
Aſſentatores jubet ad lucrum ire Poëta
Dives agris, dives poſitis in fœnore nummis.
Si vero eſt unctum qui recte ponere poſſit;
Et ſpondere levi pro paupere, & eripere atris
Litibus implicitum, mirabor, ſi ſciet inter-
Noſcere mendacem, verumque beatus amicum.
Tu ſeu donaris, ſeu quid donare voles cui,
Nolito ad verſus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ. Clamabit enim: Pulcre, bene, recte!
Palleſcet ſuper his; etiam ſtillabit amicis

Ex oculis rorem, ſaliet, tundet pede terram.
Vt qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo: ſic
Deriſor vero plus laudatore movetur.
Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborent
An ſit amicitia dignus. Si carmina condes,
Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.
Quintilio ſi quid recitares. Corrige, ſodes,
Hoc, ajebat, & hoc, Melius te poſſe negares,
Bis, terque expertum fruſtra; delere jubebat,
Et male tornatos incudi reddere verſus.
Si defendere delictum, quam vertere, malles;
Nullum ultra verbum, aut operam ſumebat inanem,
Quin ſine rivali teque & tua ſolus amares.
Vir bonus & prudens verſus reprehendet inertes:
Culpabit duros: incomptis allinet atrum
Tranſverſo calamo ſignum: ambitioſa recidet
Ornamenta: parum claris lucem dare coget:
Arguet ambigue dictum: mutanda notabit:
Fiet Ariſtarchus; nec dicet, Cur ego amicum
Offendam in nugis? Hæ nugæ ſeria ducent
In mala deriſum ſemel, exceptumque ſiniſtre.
Vt mala quem ſcabies, aut morbus regius urget,
Aut fanaticus error, & iracunda Diana;
Veſanum tetigiſſe timent, fugiuntque Poëtam,
Qui ſapiunt: agitant pueri, incautique ſequuntur.
Hic, dum ſublimes verſus ructatur, & errat,
Si, veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foveamve; licet, Succurrite, longum
Clamet, io, cives: non ſit, qui tollere curet.

Si quis curet opem ferre, & demittere funem;
Qui ſcis, an prudens huc ſe dejecerit, atque
Servari nolit? dicam: Siculique Poëtæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnam
Inſiluit. Sit jus, liceatque perire Poëtis.
Invitum qui ſervat, idem facit occidenti.
Nec ſemel hoc fecit: nec ſi retractus erit, jam
Fiet homo, & ponet famoſi mortis amorem.
Nec ſatis apparet cur verſus factitet: utrum
Minxerit in patrios cineres, an triſte bidental
Moverit inceſtus. Certe furit: ac velut urſus,
Objectos caveæ valuit ſi frangere clathros,
Indoctum, doctumque fugat recitator acerbus.
Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo,
Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.

Finis excerptorum ex Quinto Horatio Flacco.

* *

EX

D. JVNII JVVENALIS

SATIRA PRIMA.

Semper ego auditor tantum? Nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theſeïde Codri?
Impune ergo mihi recitaverit ille togatas,
Hic elegos? Impune diem conſumpſerit ingens
Telephus: Aut ſummi plena jam margine libri
Scriptus & in tergo, necdum finitus Oreſtes?
Difficile eſt Satiram non ſcribere. Nam quis ini-
quæ

Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat ſe?
74. . . . . Probitas laudatur, & alget.
79. Si natura negat, facit indignatio verſum,
Qualemcunque poteſt: qualeis ego, vel Cluvienus.
147. Nil erit ulterius quod noſtris moribus addat
Poſteritas: eadem cupient, facientque minores.

EX SATIRA SECVNDA.

Verſ. 80.

. . . . Grex totus in agris
Vnius ſcabie cadit, & porrigine porci,
Vvaque conſpecta livorem ducit ab uva.
Nemo repente fuit turpiſſimus.

EX SATIRA TERTIA.

Quamvis digreſſu veteris confuſus amici,
Laudo tamen vacuis quod ſedem figere Cumis
Deſtinet, atque unum civem donare Sibyllæ.
Janua Baïarum eſt, & gratum littus amœni
Seceſſus. Ego vel Prochytam præpono Suburræ.
Nam quid tam miſerum, tam ſolum vidimus, ut non
Deterius credas horrere incendia, lapſus
Tectorum aſſiduos, ac mille pericula ſævæ
Vrbis, & auguſto recitantes menſe Poëtas?
Sed dum tota domus rheda componitur una,
Subſtitit ad veteres arcus, madidamque Capenam.
21. Hinc tum Vmbricius: Quando artibus, inquit, honeſtis
Nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum,

Res hodie minor eſt, here quam fuit, atque eadem cras
Deteret exiguis aliquid: proponimus illuc
Ire, fatigatas ubi Dædalus exuit alas:
Dum nova canities, dum prima, & recta ſenectus,
Dum ſupereſt Lacheſi quod torqueat, & pedibus me
Porto meis, nullo dextram ſubeunte bacillo:
Cedamus patria: vivant Arturius iſtic,
Et Catulus: maneant qui nigra in candida vertunt,
Queis facile eſt ædem conducere, flumina, portus,
Siccandam eluviem, portandum ad buſta cadaver,
Et præbere caput domina venale ſub haſta.
Quondam hi cornicines, & municipalis arenæ
Perpetui comites, notæque per oppida buccæ.
Munera nunc edunt, & verſo pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter: inde reverſi
Conducunt foricas, (aut quidquid vilius audent).
Quid Romæ faciam? Mentiri neſcio: librum,
Si malus eſt, nequeo laudare. 133.
Quantum quiſque ſua nummorum ſervat in arca,
Tantum habet & fidei.
152. Nil habet infelix paupertas durius in ſe,
Quam quod ridiculos homines facit.
164. Haud facile emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi: (nimis hic habitare moleſtum eſt).
235. (Namque niſi) magnis opibus dormitur in urbe.
Inde caput morbi: rhedarum tranſitus arcto
Vicorum inflexu, & ſtantis convicia mandræ
Eripiunt ſomnum. 242. Nobis properantibus obſtat
Vnda prior: magno populus premit agmine lumbos,
Qui ſequitur: ferit hic cubito: ferit aſſere duro
Alter: at hic lignum capiti incutit, ille metretam.

Pinguia crura luto: planta mox undique magna
Calcor, & in digito clavus mihi militis hæret.
254. Scinduntur tunicæ ſartæ. Modo longa coruſcat
Sarraco veniente abies, atque altera pinum
Plauſtra vehunt: nutant alte populoque minantur.
Nam ſi procubuit qui ſaxa Liguſtica portat
Axis, & everſum fudit ſuper agmina montem,
Quid ſupereſt de corporibus? Quis membra, quis oſſa
Invenit? obtritum vulgi perit omne cadaver
More animæ.
267. Reſpice nunc alia ac diverſa pericula noctis:
Quod ſpatium tectis ſublimibus, unde cerebrum
Teſta ferit, quoties rimoſa & curta feneſtris
Vaſa cadunt, quanto percuſſam pondere ſignent,
Et lædant ſilicem: poſſis ignavus haberi,
Et ſubiti caſus improvidus, ad cœnam ſi
Inteſtatus eas: adeo tot fata, quot illa
Nocte patent vigiles, te prætereunte, feneſtræ.
278. Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
290. Stat contra, ſtarique jubet: parere neceſſe eſt.
Nam quid agas? cum te furioſus cogat, & idem
Fortior. Vnde venis? exclamat. . . .
295. Nil mihi reſpondes? Aut dic, aut accipe calcem.
Ede, ubi conſiſtas? in qua te quæro proſeucha?
Dicere ſi tentes aliquid, tacituſve recedas,
Tantumdem eſt: feriunt pariter; vadimonia deinde
Irati faciunt; libertas pauperis hæc eſt:
Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat,
Vt liceat paucis cum dentibus inde reverti.
Nec tamen hæc tantum metuas: nam qui ſpoliet te
Non

Non deerit, clausis domibus, postquam omnis ubique
Fixa catenatæ siluit compago tabernæ.
Interdum & ferro subitus grassator agit rem,
Armato quoties tutæ custode tenentur,
Et Pomptina palus, & Gallinaria pinus.
Sic inde huc omnes tanquam ad vivaria currunt.
Qua fornace graves, qua non incude catenæ?
Maximus in vinclis ferri modus, ut timeas ne
Vomer deficiat, ne marræ, & sarcula desint.
Felices proavorum atavos, felicia dicas
Secula, quæ quondam sub Regibus atque Tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam!
His alias poteram & plures subnectere causas:
Sed jumenta vocant, & sol inclinat; eundum est.
Nam mihi commota jamdudum mulio virga
Adnuit; ergo vale nostri memor.

EX SATIRA SEXTA.

Credo pudicitiam, Saturno Rege, moratam
In terris, visamque diu; cum frigida parvas
Præberet spelunca domos. ignemque Laremque,
Et pecus & dominos communi clauderet umbra:
Sylvestrem montana torum cum sterneret uxor
Frondibus & culmo, vicinarumque ferarum
Pellibus: haud similis tibi, Cynthia, nec tibi, cujus
Turbavit nitidos extinctus passer ocellos:
Sed potanda ferens infantibus ubera magnis,
Et sæpe horridior glandem ructante marito.
Quippe aliter tunc orbe novo, cœloque recenti
Vivebant homines: qui rupto robore nati,

Com-

Compositique luto nullos habuere parentes.
Multa pudicitiæ veteris vestigia forsan,
Aut aliqua extiterant & sub Jove, sed Jove nondum
Barbato, nondum Græcis jurare paratis
Per caput alterius, cum furem nemo timeret
Caulibus aut pomis, & aperto viveret horto.
Paulatim deinde ad Superos Astræa recessit
Hac comite, atque duæ pariter fugere sorores.

EX SATIRA SEPTIMA.

Vers. 50.

Ni caveant homines) laqueo tenet ambitiosi
Consuetudo mali: tenet insanabile multos
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde senescit.
Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triviale moneta,
Hunc qualem nequeo monstrare, & sentio tantum,
Anxietate carens animus facit, omnis acerbi
Impatiens, cupidus sylvarum, aptusque bibendis
Fontibus Aonidum: neque enim cantare sub antro
Pierio, thyrsumve potest contingere mœsta
Paupertas, atque æris inops, quo, nocte dieque,
Corpus eget: satur est, cum dicit Horatius Euhoë.
144. (Vulgus apud) rara in tenui facundia panno.
154. Occidit miseros crambe repetita magistros.
Quis color, & quod sit causæ genus, atque ubi summa
Quæstio, qua veniant diversæ parte sagittæ,
Scire volunt omnes, mercedem solvere nemo.
Mercedem appellas? Quid enim scio? Culpa docentis

Scilicet arguitur, quod læva in parte mamillæ
Nil ſalit Arcadico juveni, cujus mihi ſexta
Quaque die miſerum dirus caput Annibal implet.
178. Balnea ſexcentis & pluris, porticus, in qua
Geſtetur dominus, quoties pluit, (ædificantur).
182. Parte alia longis Numidarum fulta columnis
Surgit, ut algentem rapiat cœnatio ſolem.
186. Hos inter ſumptus ſeſtertia Quintiliano,
Vt multum duo ſufficient: res nulla minoris
Conſtabit patri quam filius. (Attamen omnes)
195. Sidera (non fruſtra) excipiunt nos incipientes
Edere vagitus, & adhuc a matre rubentes.
Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul,
Si volet hæc eadem, fies de Conſule Rhetor.
201. Servis regna dabunt, captivis fata triumphum.
Pœnituit multos vanæ, ſteriliſque cathedræ.

EX SATIRA OCTAVA.

Stemmata quid faciunt? Quid prodeſt, Pontice, longo
Sanguine cenſeri, pictoſque oſtendere vultus
Majorum, & ſtantes in curribus Aemilianos,
Et Curios jam dimidios, humeroque minorem
Corvinum, & Galbam auriculis naſoque carentem,
Fumoſoſque equitum cum Dictatore magiſtros,
Si coram Lepidis male vivitur;
19. Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria: nobilitas ſola eſt atque unica virtus.
24. Prima mihi debes animi bona. Sanctus haberi,
Juſtitiæque tenax factis, dictiſque mereris?
Agnoſco procerem: ſalve, Getulice, ſeu tu

Sila-

Silanus, quocumque alio de ſanguine rarus
Civis, & egregius patriæ contingis ovanti.
68. Ergo ut miremur te, non tua; primum aliquid da
Quod poſſim titulis incidere præter honores,
Quos illis damus, & dedimus, quibus omnia debes.
Hæc ſatis ad juvenem, quem nobis fama ſuperbum
Tradit & inflatum, plenumque Nerone propinquo.
Rarus enim ferme ſenſus communis in illa
Fortuna. Sed te cenſeri laude tuorum,
Pontice noluerim, ſic ut nihil ipſe futuræ
Laudis agas. Miſerum eſt aliorum incumbere famæ,
Ne collapſa ruant, ſubductis, tecta, columnis.
Stratus humi palmes viduas deſiderat ulmos.
Eſto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer: ambiguæ ſi quando citabere teſtis
Incertæque rei, Phalaris licet imperet, ut ſis
Falſus, & admoto dictet perjuria tauro,
Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſas.
131. (Nam) licet a Pico numeros genus, altaque ſi te
Nomina delectant, omnem Titanida pugnam
Inter majores, ipſumque Promethea ponas:
De quocunque voles proavum tibi ſumito libro.
Quod ſi præcipitem rapit ambitio atque libido,
Si frangis virgas ſociorum in ſanguine, ſi te
Delectant hebetes laſſo lictore ſecures;
Incipit ipſorum contra te ſtare parentum
Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.
Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.
269. Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis
Aeaci-

Aeacidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſſas,
Quam te Therſitæ ſimilem producat Achilles.

EX SATIRA NONA.

Verſ. 96.

Qui modo ſecretum commiſerat, ardet & odit,
Tanquam prodideris quidquid ſcis: ſumere ferrum,
Fuſte aperire caput, candelam apponere valvis
Non dubitat. 102. Corydon, ſecretum divitis ullum
Eſſe putas? Servi ut taceant: jumenta loquentur,
Et canis, & poſtes, & marmora: claude feneſtras:
Vela tegant rimas, junge oſtia, tollito lumen;
Quod tamen ad cantum galli facit ille ſecundi,
Proximus ante diem caupo ſciet, audiet & quæ
Finxerunt pariter librarius, Archimagiri.
114. (Servos) ergo roges, quidquid paulo ante petebas
A nobis: taceant illi; ſed prodere malunt
Arcanum, quam ſubrepti potare Falerni.
Vivendum recte eſt, cum propter plurima, tum iſtis
Præcipue cauſis, ut linguas mancipiorum
Contemnas: nam lingua, mali pars peſſima ſervi.

EX SATIRA DECIMA.

Omnibus in terris quæ ſunt a Gadibus uſque
Auroram & Gangem, pauci dignoſcere poſſunt
Vera bona, atque illis multum diverſa, remota
Erroris nebula. Quid enim ratione timemus,
Aut cupimus? Quid tam dextro pede concipis, ut te
Conatus non pœniteat, votique peracti?

Ever-

Evertere domos totas, optantibus ipsis,
Dî faciles. Nocitura toga, nocitura petuntur
Militia: & torrens dicendi copia, multis
Et sua mortifera est facundia. Viribus ille
Confisus periit, admirandisque lacertis.
Sed plures nimia congesta pecunia cura
Strangulat, & cuncta exsuperans patrimonia census,
Quanto Delphinis Balæna Britannica major.
19. Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus, gladium, contumque timebis:
Et motæ ad Lunam trepidabis arundinis umbram.
Cantabit vacuus coram latrone viator.
188. Da spatium vitæ, multos da, Jupiter, annos.
Hoc, recto vultu, solum hoc & pallidus optas.
Sed quam continuis, & quantis longa senectus
Plena malis! Deformem & tetrum ante omnia vultum
Dissimilemque sui, deformem pro cute pellem,
Pendentesque genas, & (tristes) aspice rugas.
Plurima sunt juvenum discrimina. Pulchrior ille
Hòc, atque ille alio: multum hic robustior illo.
Vna senum facies, cum voce trementia membra,
Et jam leve caput, madidique infantia nasi.
Frangendus misero gengiva panis inermi:
Vsque adeo gravis uxori, natisque, sibique:
Non eadem vini atque cibi, torpente palato,
Gaudia, (nec sapor est idem. (Verum) aspice partis
Nunc damnum alterius: nam quæ, cantante, voluptas,
213. Sit licet eximius, citharœdo, sive Seleuco:
Quid refert magni sedeat qua parte Theatri,
Qui vix cornicines exaudiet, atque tubarum
Concentus? Clamore opus est, ut sentiat auris,
Quem

Quem dicat veniſſe puer, quot nuntiet horas.
Præterea minimus gelido jam in corpore ſanguis
Febre calet ſola: circumſilit agmine facto
Morborum omne genus, quorum ſi nomina quæras,
Promptius expediam (quot ſint in vertice crines),
Quot Themiſon ægros autumno occiderit uno.
227. Ille humero, hic lumbis, hic coxa debilis: ambos
Perdidit ille oculos, & luſcis invidet: hujus
Pallida labra cibum capiunt digitis alienis.
Ipſe ad conſpectum cœnæ diducere rictum
Suetus, hiat tantum, ceu pullus hirundinis, ad quem
Ore volat pleno mater jejuna. Sed omni
Membrorum damno major dementia, quæ nec
Nomina ſervorum, nec vultum agnoſcit amici,
Nec quos eduxit gnatos, (nulloſque propinquos).
240. Vt vigeant ſenſus animi, ducenda tamen ſunt
Funera gnatorum, rogus aſpiciendus amatæ
Conjugis & fratris, plenæque ſororibus urnæ.
Hæc data pœna diu viventibus, ut renovata
Semper clade domus multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore & nigra veſte ſeneſcant.
346. Nil ergo optabunt homines? Si conſilium vis;
Permittes ipſis expendere Numinibus, quid
Conveniat nobis, rebuſque ſit utile noſtris.
Nam pro jucundis aptiſſima quæque dabunt Dî.
Carior eſt illis homo, quam ſibi.
356. Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano.
363. Monſtro, quod ipſe tibi poſſis dare. Semita certe
Tranquillæ per virtutem patet unica vitæ.
Nullum numen habes, ſi ſit prudentia: Nos te
Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloque locamus.

EX SATIRA XI.

1. Atticus eximie si cœnat, lautus habetur:
Si Rutilus, demens. Quid enim majore cachinno
Excipitur vulgi, quam pauper Apicius (ille est).
9. Multos porro vides, quos sæpe elusus ad ipsum
Creditor introitum solet expectare macelli,
Et quibus in solo vivendi causa palato est.
Egregius cœnat, meliusque miserrimus horum.
Et cito casurus jam perlucente ruina.
Interea gustus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretiis obstantibus: interius si
Attendas, magis illa juvant quæ pluris emuntur.
64. Fercula nunc audi nullis ornata macellis.
De Tiburtino veniet pinguissimus agro
Hædulus, & toto grege mollior, inscius herbæ,
Necdum ausus virgas humilis mordere salicti,
Qui plus lactis habet, quam sanguinis: & montani
Asparagi, posito quos legit villica fuso.
Grandia præterea, tortoque calentia fœno
Ova adsunt ipsis cum matribus: & servatæ
Parte anni, quales fuerant in vitibus, uvæ:
(Lactis erit, mellisque parum): de corbibus iisdem
Aemula Picenis, & odoris mala recentis,
Nec metuenda tibi, siccatum frigore postquam
Autumnum, & crudi posuere pericula succi.
Hæc olim nostri jam luxuriosa senatus
Cœna fuit. Curius, parvo quæ legerat horto
Ipse, focis brevibus ponebat oluscula, quæ nunc
Squalidus in magna fastidit compede fossor.
82. Sicci terga suis, rara pendentia crate,

Moris

Moris erat quondam feſtis ſervare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, ſi quam dabat hoſtia, carne.
Cognatorum aliquis titulo ter conſulis, atque
Caſtrorum imperiis, & Dictatoris honore
Functus, ad has epulas ſolito maturius ibat
Erectum domito referens a monte ligonem.
99. Tales ergo cibi, qualis domus, atque ſupellex.
117. Illa domi natas noſtraque ex arbore menſas
Tempora viderunt; hos lignum ſtabat ad uſus,
Annoſam ſi forte nucem dejecerat Eurus.

EX SATIRA XII.

50. Non propter vitam faciunt patrimonia quidam;
Sed vitio cœci propter patrimonia vivunt.
57. I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confiſus ligno, digitis a morte remotus
Quatuor, aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.

EX SATIRA XIII.

11. Ponamus nimios gemitus: flagrantior æquo
Non debet dolor eſſe viri, nec vulnere major.
21. Felices illos qui ferre incommoda vitæ,
Nec jactare jugum vita didicere magiſtra!
Quæ tam feſta dies, ut ceſſet prodere furem,
Perfidiam, fraudes, atque omni ex crimine lucrum
Quæſitum, & partos gladio vel pyxide nummos?
Rari quippe boni, numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.
38. Quondam alio indigenæ vivebant more, prius-
quam

Sumeret agrestem, posito diademate, falcem
Saturnus fugiens; tum cum virguncula Juno,
Et privatus adhuc Idæis Jupiter antris.
Nulla super nubes convivia cœlicolarum:
Nec puer Iliacus, formosa nec Herculis uxor
Ad Cyathos, & jam, siccato Nectare, tergens
Brachia Vulcanus Liparæa nigra taberna.
Prandebat sibi quisque Deus: nec turba Deorum
Talis ut est hodie: contentaque sidera paucis
Numinibus, miserum urgebant Atlanta minori
Pondere. Nondum aliquis sortitus triste profundi
Imperium, aut Sicula torvus cum conjuge Pluton.
Nec rota, nec furiæ, nec saxum, aut vulturis atri
Pœna: sed infernis hilares sine regibus umbræ.
Improbitas illo fuit admirabilis ævo.
Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat, & si
Barbato cuicunque puer; licet ipse videret
Plura domi farra, & majores glandis acervos:
Tam venerabile erat præcedere quatuor annis.
236. Mobilis & varia est ferme natura malorum:
Cum scelus admittunt, superest constantia: quid fas
Atque nefas, tandem incipiunt sentire, peractis
Criminibus. Tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fixa & mutari nescia. Nam quis
Peccandi finem posuit sibi? Quando recepit
Ejectum semel attrita de fronte ruborem?
Quisquam hominum est, quem tu contentum videris uno
Flagitio? Dabit in laqueum vestigia noster
Perfidus, & nigri patietur carceris uncum,

Aut maris Aegæi rupem, ſcopuloſque frequentes
Exulibus magnis: pœna gaudebis amara
Nominis inviti, tandemque fatebere lætus
Nec ſurdum, nec Tireſiam quemquam eſſe Deorum.

EX SATIRA XIV.

32. Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Cum ſubeunt animos auctoribus. Vnus & alter
Forſitan hæc ſpernent juvenes, quibus arte benigna
Et meliore luto finxit præcordia Titan:
Sed reliquos fugienda patrum veſtigia ducunt,
Et monſtrata diu veteris trahit orbita culpæ.
Abſtineas igitur damnandis. Hujus enim vel
Vna potens ratio eſt, ne crimina noſtra ſequantur
Ex nobis geniti: quoniam dociles imitandis
Turpibus, ac pravis omnes ſumus: & Catilinam
Quocunque in populo videas, quocunque ſub axe:
Sed nec Brutus erit, Bruti nec avunculus uſquam.
Nil dictu fœdum viſuque hæc limina tangat
Intra quæ puer eſt. Procul hinc, procul inde (nefandum).
Maxima debetur puero reverentia. Si quid
Turpe paras, ne tu pueri contemſeris annos:
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.
70. Gratum eſt, quod patriæ civem, populoque dediſti,
Si facis ut patriæ ſit idoneus, utilis agris,
Vtilis & bellorum, & pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu

Moribus inſtituas. Serpente ciconia pullos
Nutrit, & inventa per devia rura lacerta:
Illi eadem, ſumtis, quærunt animalia, pennis.
Vultur jumento, & canibus crucibuſque relictis
Ad fœtus properat, partemque cadaveris affert:
Hic eſt ergo cibus magni quoque vulturis, & ſe
Paſcentis, propria cum jam facit arbore nidos.
Sed leporem, aut capream famulæ Jovis & generoſæ
In ſaltu venantur aves: hinc præda cubili
Ponitur: inde autem cum ſe matura levavit
Progenies, ſtimulante fame, feſtinat ad illam
Quam primum rupto prædam guſtaverat ovo.

EX SATIRA XV.

70. Terra malos homines nunc educat atque pu-
ſillos. 131.
(Sed quoſcunque ferat, certe) molliſſima corda
Humano generi dare ſe natura fatetur,
Quæ lacrymas dedit: hæc noſtri pars optima ſenſus.
142. Plorare ergo jubet mala: ſeparat hoc nos
A grege mutorum, atque ideo venerabile ſoli
Sortiti ingenium, divinorumque capaces,
Atque exercendis capiendiſque artibus apti,
Senſum a cœleſti demiſſum traximus arce,
Cujus egent prona & terram ſpectantia. Mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantum animas, nobis animum quoque; mutuus ut
nos
Adfectus petere auxilium, & præſtare juberet,
Diſperſos trahere in populum, migrare vetuſto
De nemore, & proavis habitatas linquere ſylvas,

Aedi-

Aedificare domos, Laribus conjungere nostris
Tectum aliud, tutos vicino limine somnos
Vt collata daret fiducia; protegere armis
Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere civem,
Communi dare signa tuba, defendier iisdem
Turribus, atque una portarum clave teneri.
Sed jam serpentum major concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera. Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? Quo nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: sævis inter se convenit ursis.
Ast homini ferrum lethale incude nefanda
Produxisse parum est, cum rastra & sarcula tantum
Assueti coquere, & marris, ac vomere lassi
Nescierint primi gladios extendere fabri.
Aspicimus populos, quorum non sufficit iræ
Occidisse aliquem; sed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus esse cibi. Quid diceret ergo,
Vel quo non fugeret, si nunc hæc monstra videret
Pythagoras, cunctis animalibus abstinuit qui
Tanquam homine, & ventri indulsit non omne legumen?

Finis excerptorum ex D. Junio Juvenali.

****

EX
AVLI PERSII FLACCI
SATIRARVM
LIBRO.

PROLOGVS.

Nec fonte labra prolui caballino:
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
Memini, ut repente ſic Poëta prodirem;
Heliconiadaſque, pallidamque Pirenem
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ ſequaces: ipſe ſemi-paganus
Ad ſacra Vatum carmen affero noſtrum.
Quis expedivit pſittaco ſuum χαῖρε,
Picaſque docuit verba noſtra conari?
Magiſter artis, ingeniîque largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.
Quod ſi doloſi ſpes refulſerit nummi,
Corvos Poëtas, & poëtrias picas
Cantare credas Pegaſeïum melos.

EX SATIRA PRIMA.

P. O curas hominum! o quantum in rebus inane!
A. Quis leget hæc? *P.* Min' tu iſtud ais? *A.* Nemo, Hercule. *P.* Nemo?
A. Vel duo, vel nemo: turpe & miſerabile. *P.* Quare?
Ne mihi Polydamas, & Troïades Labeonem

Præ-

Prætulerint. Nugæ. Non, ſi quid turbida Roma
Elevet, accedas: examenve improbum in illa
Caſtiges trutina: nec te quæſiveris extra.
Nam Romæ eſt quis non? Ah ſi fas dicere! ſed fas
Tunc, cum ad canitiem, & noſtrum iſtud vivere triſte
Aſpexi, & nucibus facimus quæcunque relictis,
Cum ſapimus patruos, tunc, tunc: ignoſcite. *A.* Nolo.
P. Quid faciam? Sed ſum petulanti ſplene cachinno.
Scribimus incluſi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo, pexuſque togaque recenti,
Et natalitia tandem cum Sardonyche albus,
Sede leges celſa, liquido cum plaſmate guttur
Mobile collueris, patranti fractus ocello.
28. At pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier, Hic eſt:
Tun' cirratorum centum dictata fuiſſe
Pro nihilo pendes? Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ ſaturi, quid dia poëmata narrent.
Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna eſt,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypſipylas, vatum & plorabile ſi quid
Eliquat, & tenero ſupplantat verba palato,
Aſſenſete viri. Nunc non cinis ille poëtæ
Felix? Non levior cippus nunc imprimit oſſa:
Laudant convivæ. Nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo, fortunataque favilla
Naſcentur violæ? Rides, ait, & nimis uncis
Naribus indulges. An erit qui velle recuſet
Os populi meruiſſe, & cedro digna locutus,

Linquere nec ſcombros metuentia carmina, nec thus?
61. Vos, o patricius ſanguis, quos vivere fas eſt,
Occipiti cœco, poſticæ occurrite ſannæ.

EX SATIRA II.

1. Hunc Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum genio, non tu prece poſcis emaci,
Quæ niſi ſeductis nequeas committere Divis.
At bona pars procerum tacita libavit acerra.
Haud cuivis promptum eſt, murmurque, humileſque ſuſurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.
Mens bona, fama, fides: hæc clare, & ut audiat hoſpes:
Illa ſibi introrſum, & ſub lingua murmurat: O ſi
Ebullit patrui præclarum funus! &, o ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus hæres
Impello, expungam! namque eſt ſcabioſus, & acri
Bile tumet. 40. (Quæſo, ſed, Jupiter, illa negato).
Poſcis opem nervis, corpuſque fidele ſenectæ:
Eſto, age: ſed grandes patinæ, tucetaque craſſa
Annuere his Superos vetuere, Jovemque morantur.
Rem ſtruere exoptas, cæſo bove, Mercuriumque
Arceſſis fibra: da fortunare Penates:
Da pecus & gregibus fœtum. Quo, peſſime, pacto
Tot tibi cum in flammis junicum omenta liqueſcant?
61. O curvæ in terras animæ, & Cœleſtium inanes!
Quid juvat hoc, templis noſtros immittere mores?
69. Dicite, Pontifices, in ſancto quid facit aurum?

Nem-

Nempe hoc, quod Veneri donatæ a virgine puppæ.
Quin damus id Superis, de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago?
Compoſitum jus, faſque animo, ſanctoſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto?
Hæc cedo, ut amoveam templis, & farre litabo.

EX SATIRA III.

35. Magne Pater Divûm, ſævos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Moverit ingenium ferventi tincta veneno:
Virtutem videant, intabeſcantque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci,
Et magis auratis pendens laquearibus enſis
Purpureas ſubter cervices terruit (unquam)?
44. Sæpe oculos, memini, tingebam parvus olivo,
Grandia ſi nollem morituri verba Catonis
Diſcere, non ſano multum laudanda magiſtro,
Quæ pater adductis ſudans audiret amicis.
Jure etenim ſummum (credebam) ſcire quis eſſet
Callidior buxum (teretem) torquere flagello.
Eſtne aliquid quo tendis, & anne ex tempore vivis?
64. Helleborum fruſtra, cum jam cutis ægra tumebit,
Poſcentes, videas: venienti occurrite morbo.
Ecquid opus Cratero magnos promittere montes?
Diſcite, vos miſeri, & cauſas cognoſcite rerum,
Quid ſumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quam mollis flexus, & unde
Quis modus argento, quid fas optare, quid aſper
Vtile nummus habet, patriæ, cariſque propinquis,
Quantum elargiri deceat, quem te Deus eſſe
Juſſit, & humana qua parte locatus es in re.

EX SATIRA V.

30. Cum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bullaque ſuccinctis laribus donata pependit,
36. Me tibi ſuppoſui: teneros tu ſuſcipis annos
Socratico, Cornute, ſinu. Tunc fallere ſolers
Appoſita intortos oſtendit regula mores:
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit ſub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini conſumere ſoles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
53. Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus.
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper, & pallentis grana cumini:
Hic ſatur irriguo mavult turgeſcere ſomno:
Hic campo indulget: (vetita) alia decoquit illum
At te nocturnis juvat impalleſcere chartis.
Cultor enim es juvenum, purgatas inſeris aures
Fruge Cleanthea. Petite hinc, juveneſque, ſeneſque,
Finem animo certum, miſeriſque viatica canis.
Cras hoc fiet. Idem cras fiet. Quid? quaſi magnum
Nempe diem donas? Sed cum lux altera venit,
Jam cras heſternum conſumſimus. Ecce aliud cras
Egerit hos annos, & ſemper paulum erit ultra.
153. Vivis, cras cinis & manes & fabula fies:
Vive memor lethi: fugit hora: hoc quod loquor,
inde eſt.

Finis excerptorum ex Aulo Perſio Flacco.

* *

NOTAE
SECVNDAM PARTEM EXCERPTORVM POETICAE ORATIONIS ILLVSTRANTES.

Ex Phædro.

De vita Phædri post longam disquisitionem hoc tantum constat, eum fuisse Phrygem, serviisse servitutem & ab Augusto demum manumissum. Magnus hic Imperator cum Mæcenate & similibus nominis immortalitatem favore & patrocinio literarum a se suscepto consecutus est. Eminet Phædrus inter ea ingenia, quæ auream ætatem illustrarunt. Parum acceptus fuit Tiberio, cujus amicorum princeps Sejanus prædecessores imitatus non est. Vir iste potens gravis admodum fuit Phædro, cujus non erat adulari malis. Neque hic suis in fabulis ab inimico insectando abstinuit. Vitam ultra Caligulæ principatum extraxisse videtur. Quod si de hominum animo ex illorum scriptis judicare licet, fatendum est utique, Phædrum non ingenio tantum sed & virtutis amore floruisse. Districto quasi gladio vitia quævis adoritur. Scriptionis illius genus ex eo abunde laudatur, quod Terentio æquiparatur. Mirandum est, quod Sylloge Fabularum ejus incognita delituerit ad annum usque 1596, edenda demum Augustoduni Tricassium a Petro Pithœo. Codices antiqui manu exarati celebrantur potis-

potiſſimum duo, Florentinus, & alter Bibliothecæ S. Remigii Rhemenſis. Hic quidem explere omnino poteſt guſtum eorum, qui hoc antiquitatis ſtudio delectantur. Inter editiones impreſſas præſtant Salmurienſis A. 1657. cum *P. Syri Mimis* & notis *Tan. Fabri*: *Jo. Schefferi* Hamburg. ſæpius; *Petr. Burmanni* Amſtel. 1698, & 1718. in 8. & cum ampliſſimis ejusdem & variorum notis Lugd. Bat. 1727. 4.

Ex Ovidio.

P. Ovidius Naſo equeſtri loco natus patentem habere videbatur ad ſummas dignitates aditum: quem vero inter voluptatis & poëſeos illecebras neglexit. Contentus ſua ſorte, molliter ævum in Imperatoris aula inter Juliæ, literas elegantiores & ipſum deperientis amores ſe traducturum ſperavit. Horum vero opprobriis iratus Auguſtus, Poëtam Tomos relegavit, urbem ad Ponti Euxini littus & Iſtri oſtia ſitam. Fuit hoc exilium ſupplicii inſtar Ovidio: qui iteratis epiſtolis & profuſis ubique adulatoriis laudibus Imperatoris animum, ſed fruſtra placare ſtuduit: mortuus tandem in exilio anno Tiberii quarto V. C. 771. Nemo Poëta unquam tanta cum facilitate verſus ſcripſit. Præ nimia licet laboris impatientia omnem carminum emendandorum curam fugerit, optimos tamen inter veterum poëtas jure cenſetur. Exigunt autem illius opuſcula ſollicitum delectum, quæ non niſi matura jam ætate maturoque judicio legi deberent, ut quæ ſunt in iis oppido pulcra diſcerni poſſent.

Opera Ovidii ſæpiſſime typis exſcripta ſunt. Præ reliquis editionibus laudantur *Wecheliana* cum Variorum

riorum Commentariis Francof. 1601. fol. *Heinſianæ* cum brevibus notis criticis, Amſtelodami & Lugduni Bat. ſæpius iteratæ. *Burch. Cnippingii* cum notis Varior. Lugd. B. 1670. & Amſtelod. 1683. 3. Vol. in 8. Splendidiſſima eſt, quæ cura & ſtudio Petr. Burmanni cum notis Variorum prodiit Amſtelod 1727. 4. Vol. in 4.

P. 16. v. 1. *Titan* i. e. Sol.

- - v. 12. *Hanc Deus & melior &c.* Loquitur Ovidius ex mente gentilium, Naturam cum ſummo Numine confundentium. Heſiodus quidem, quem cæteroquin ſequitur, in deſcribenda rerum omnium e chao productione multa e libris Moſis deſumſiſſe videtur; Ovidius autem utramque ſententiam, & eorum, qui Deum univerſi dominum agnoſcebant, & eorum, qui Deum cum Natura temere confundebant, invidiam vitaturus, conjungit.

P. 21. Fab. I. L. II. Nota eſt fabula de Phaëthonte e conſilio matris Climenes ſolem tanquam patrem adeunte, ut de ſua ex eo origine, quam Epaphus per jurgium negarat, certior fieret.

P. 27. Fab. XV. 1. *Viderat Aglauros &c.* Aglauros, Cecropis filia quoniam una cum ſororibus ciſtulam aperuit, in qua Erichtonius a Minerva clam nutritus latebat, ita deam offendit, ut hæc invidiam ipſi objiceret, qua cum ſororibus acta, in mare ſe præcipitavit. Hæc fabula Poëtæ occaſionem egregiæ deſcriptionis hic collocatæ ſuppeditat.

P. 28. v. 24. *Tritonia Pallas.* *Tritonia* dicitur Pallas, quæ & Minerva, vel a τριτὼ, quod Bœotorum lingua caput notat, quia e Jovis capite proſiliiſſe

liisse ferebatur; vel Tritonia quasi Τριτογένεια, i. e. *tertio loco nata*, nempe post Apollinem & Dianam. Alii derivant denominationem a Tritone lacu, ad quem primum virginali habitu apparuerit.

P. 29. v. 4. *Tritonida arcem*, i. e. Athenas, quæ urbs Minervæ consecrata erat.

Fab. XIII. L. IV. continet originem Pegasi, & fontis *Hippocrenes*, ex primo, ut ajunt, ictu pedis equi hujus alati, e sanguine Medusæ nati, prosilientis. Narrat quippe Perseus, qua ratione surripuerit filiabus Phorci communem oculum, & Medusæ caput absciderit.

P. 39. v. 24. *Berecynthius heros*. Rex Berecynthi, quæ Phrygiæ urbs est, Midas.

P. 36. v. 11. *Aemoniam*, i. e. Trachinam, Thessaliæ, quæ Poëtis etiam Aemonia dicitur, urbem.

P. 42. v. 13. *Placato Deo*, i. e. Augusto, quem adulatorie sæpe Deum vocat.

Ibid. v. 21. *Parrhasis arctos*, i. e. Ursa Arcadica, Callisto, una e Nymphis Dianæ, secundum fabulas in ursam mutata, & denique sub denominatione Ursæ Majoris inter astra collocata.

P. 43. v. 8. *Thesea fide*. Amicitia constantissima, qualis fuit inter Theseum atque Pirithoum, cujus amore ille inferos adiit.

Ibid. v. 30. *Victas utilitate manus*, i. e. cessit, spe commodi communis: rata quippe se, ubi Romæ maneret, precibus ab Augusto impetraturam, ut revocaret maritum ab exilio.

P. 44. v. 11. *Et voluisse mori, moriendo &c.* Absque metri detrimento sensus, alioquin obscurus, fiet pla-

plenus, si ex emendatione Juvenci scribamus: *& moriendo &c.*

Ibid. v. 15. *Custos Erymanthidos ursæ*, i. e. Stella, *Arctophylax* dicta, in quam custos Callistus prope Erymanthum, Arcadiæ montem mutatus dicitur.

Ibid. v. 22. *Pictos verberat unda Deos*, i. e. fluctus attingunt deorum imagines, quæ in navium puppibus exsculpi pingique solebant.

P. 45. v. 9. *Jovem*, i. e. Augustum.

P. 47. v. 27. *Papyrifero amne*, i. e. Nilus, in cujus paludibus frutex papyrus nascebatur, scripturæ veterum chartæ instar materiam præbens.

P. 49. v. 8. *Altos lacus*, i. e. ingentia vasa & dolia, vino asservando apta.

Ibid. v. 9. *Acontius.* Acontius fertur in pomo descripsisse verba: *Juro, me amare velle Acontium*, & donasse illud per dolum Cydippæ, cujus amore flagrabat, ut ea hoc quasi jurejurando cogeretur ipsi nubere.

Ibid. v. 21. *Inda Bellua*, i. e. elephas.

P. 50. v. 14. *Vt sit* &c. i. e. licet nova doloris caussa desit, ipse tamen duratione sua augetur.

P. 54. v. 4. *Aeaciden Actoridenque*, i. e. Achillem Aeaci, & Patroclum Actoris nepotes; quorum singularis amicitia celebratur.

P. 55. v. 24. *Irus.* Mendicus fuit ad januam regiæ Vlyssis stipem petens; quem hic in Ithacam redux, pugno occidit, cum sub palliolo latentem ab introitu regiæ arcere voluisset.

P. 56. v. 26. *Chaonis ales*, i. e. columba, quarum maxima fuit frequentia in monte Chaone prope Tro-

jam, nomen ſortito a Chaone, Priami filio, quem ibi per imprudentiam in venatione frater Helenus occiderat.

Ex Virgilio.

P. Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, prope Mantuam natus eſt, parentibus ruſticis quidem, ſed quorum res familiaris ſuppeditandis filio ſtudiorum Cremonæ & Neapoli excolendorum ſumtibus par fuit. Auguſtus, rerum potitus, cum infenſus Mantuanis & Cremonenſibus, qui partibus adverſis faverant, agros veteranis diſtribui juſſiſſet, Virgilii parentes bonis exuti ſunt. Hic autem Pollionis, Transpadanam provinciam tum cum exercitu regentis, amicitiam conſecutus, ornatusque commendaticiis ad Mæcenatem literis, cum patre Marone Romam profectus eſt. Adjutus Mæcenatis ſuffragio Maro, recuperavit agellos. Quos cum in patriam reduces vindicare vellent a centurione, cui aſſignati fuerant, is vi militum adhibita, patrem cum filio adeo quidem repulit, ut hic ſalutis cauſſa veſtibus onuſtus, Mincium nando ſuperare coactus ſit. Non eſt, cur quis ideo timiditatem Virgilio objiciat, cujus ſuſpicionem arcent ab eo egregiæ laudes, quibus paſſim in carminibus fortitudinem animi, nunquam a prudentia, ut bene judicat Fontanius, ſeparandam, celebrat. Perculſus hac calamitate Virgilius, Romam, de injuria conqueſturus, repetiit, obtinuitque, ut attributis militi aliis agris, in ruris ſui poſſeſſione pater confirmaretur. Maximum hoc Auguſti in ſe beneficium gratiſſimo animo in prima Ecloga celebrat. A Pollione & Mæcenate, præclariſſimas illius ingenii

nii dotes digne æſtimantibus, Auguſto commendatus, una cum Horatio & quibusdam ſimilibus Imperatoris & amicorum ejus gratia & favore gaviſus eſt. Vide vitam Maronis, quæ Donato adſcribitur. Virgilius interim gratiſſimo animo laudes bene de ſe meritorum cecinit, & cecinit quidem adeo venuſte, ut nomen eorum una cum carminibus ipſius nunquam ſit moriturum.

Supereſt adhuc memoria luſus ingenioſi, quo dotes Maronis primum enitere cœperunt, cujus narratio a noſtro inſtituto non aliena videtur. Contigit aliquando, ut per tempus, quo publicos populo ludos Auguſtus edebat, noctes totæ imbribus non intermiſſis turbidæ, dies autem ſole ſereno pulcri eſſent. Captata hinc occaſione, Virgilius clanculum ſchedam januæ palatii adfixit, in qua hi verſus extabant:

Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula mane:
Diviſum imperium cum Jove Cæſar habet.

Cum Auguſtus in auctorem, remuneraturus eum, aliquandiu fruſtra inquiſiviſſet, Bathyllus quidam ſibi eos adſcribere auſus eſt. Virgilius præ ingenuo pudore primum plauſui diffidens, ubi intellexit falſum verſiculorum auctorem ab Imperatore beneficiis ornatum, alia in ſcheda clam denuo prius verſuum quatuor hemyſtychium his verbis propoſuit:

Sic vos non vobis:

Non prodiit ultra mendax Poëta, neque alius quisquam in hoc ingenii certamen deſcendit. Virgilius vero tandem repetitis duobus primis verſibus: *Nocte pluit &c.* ſubjunxit hunc:

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores.

explevitque lacunas priores hunc in modum:

Sic vos non vobis nidificatis aves:
Sic vos non vobis vellera fertis oves:
Sic vos non vobis fertis aratra boves:
Sic vos non vobis mellificatis apes.

Quo facto, latere porro non potuit, sed delatus ad Imperatorem, eidem totam rei gestæ seriem exponere jussus est. Vitam Poetæ prolixius persequi, alienum foret ab instituti nostri ratione. Id certum est, attigisse Maronem supremum felicitatis in literatos homines cadere solentis fastigium. Vixit partim in aula, partim Neapoli, Augusto, Mæcenati, & Pollioni gratissimus, & Horatio bonisque omnibus conjunctissimus.

Ex Asia cum Augusto reversus, anno ætatis 52. Brindisii obiit. Morti proximus Aeneidem, cui ultima manus deerat, conjecisset in ignem, nisi præclarissimum hoc opus ab amicis ejus, Tucca & Vario, & auctoritate Imperatoris flammæ fuisset ereptum. Corpus ejus prope Neapolin sepultum est cum epitaphio:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Innumeras fere Virgilii operum editiones recensere longum foret. Annotabimus tantum quasdam. Perelegans est *Jodoci Badii Ascensii* cum decem commentis Servii, Donati, Mancinelli &c. Lugduni 1529. fol. Virgilius cum argumentis, paraphrasi & commentario *Jo. Lud. de la Cerda*, S. J. 3 Vol. fol. Lugdun. 1619. Colon. 1628.

Virgi-

Virgilius cum notis integris *Servii Philargyrii*, nec non *Pierii* variis lectionibus, & selectis annotationibus, *Donati*, *Probi*, *Nannii*, *Sabini*, *Germani*, *Cerdæ*, *Taubmanni*, & aliorum, quibus accedunt observationes *Jac. Emmenessii*, cum Indice *Erythræi* Lugd. Bat. 1680. 3 Vol. 8.

Virgilii opera e recens. *Pancratii Masvicii* cum fig. æneis Leovardiæ 1717. 2 Vol. 4.

P. Virgilii Maronis Opera ex recensione *Petr. Burmanni* Amstelod. 1746. 4 Vol. 4.

Omittimus recensionem editionum hujus Poetæ minorum, Farnabianam, puta, Minellianam, Schrevelianam & similes.

P. 57. Ecloga prima colloquentes inducit duo pastores, quorum alter cum gregibus arva sua relinquere cogitur.

Ibid. v. 5. *Amaryllis*, nomen est puellæ pastoriciæ, amicæ Tityri.

P. 58. v. 6. *Candidior &c.* Comparat se Tityrus cum servo, qui canus demum libertate donatur. Solebant servi in manumissione capillum ponere.

Ibid. v. 8. *Amaryllis habet &c.* Amaryllis & Galathea neque Mantuam urbem neque Romam designant, ut quidam commentatores putarunt: sed nomina sunt puellarum, carminis ornandi caussa fictarum.

P. 60. Ecloga IV. Scripta videtur hæc Ecloga in nativitatem Drusi, filii Tiberii Neronis & Liviæ, quem hæc cum e priori marito gravida in Augusti thorum concessisset, in Imperatoris domo peperit. Ab hoc Drusus statim adoptatus, designatus ejus hæ-

res censebatur. Vid. peculiaris dissertatio *Ribaldi de Rochefort*, inserta editioni operum Virgilii, quæ cura abbatis *des Fontaines* prodiit.

Virgilius obstrictissimus fuit Pollioni, per quem Mæcenati & Augusto insinuatus fuerat. Ideo honorificentissimam ejus mentionem facit in hac ecloga, qua Imperatori abblandiens, Drusi horoscopum condit, cujus nativitatem pacatio civilium turbarum paulo præcesserat.

P. 60. v. 3. *Consule dignæ*. Respicere videtur ad Augustum, qui perpetuus erat Consul.

Ibid. v. 6. *Virgo*. Astræa sive Justitia.

Saturnia regna, ætatem auream denotant.

v. 10. *Lucina*, Juno, parturientium dea tutelaris.

v. 18. *At tibi &c.* Moris erat infantum nativitatem munusculis celebrare, boni ominis caussa.

P. 61. v. 2. *Thetim*, i. e. mare. Thetis dea marina.

Ibid. v. 4. *Tiphys*, gubernator Argo navis in decantatissima Jasonis & sociorum, Argonautarum, Vellus aureum Colchide petentium expeditione.

Ex Georgicis.

v. 6. *Pontumque moveri*, non mare tantum & illius æstus, sed & tempestates simul hic intelliguntur.

P. 63. v. 5. *Orcus*, Pluto, & Inferi.

P. 64. v. 9. *Ephyrëïaque æra*, i. e. Corinthiaca. Corinthus urbs primitus Ephyra dicta fuit. Aes Corynthiacum & vasa ex eo confecta veteribus in summo pretio fuerunt.

Ibid.

Ibid. v. 10. *Aſſyrio veneno*, i. e. purpura, quæ ex Aſſyriæ urbibus Tyro & Sidone petebatur. *Venenum* in bonam malamque partem ſumitur, idque deſignat, quod rei cujuscunque naturam cui adhibetur, immutat.

Ibid. v. 11. *Caſia*, frutex peregrinus, cortice & odore ſuo, ut cinnamomum, veteribus commendatus.

Ibid. v. 13. *Tempe*. Vallis amœniſſima in Theſſalia.

P. 65. v. 1. ſq. *Sperchius*. Thraciæ fluvius.

Lacænis, i. e. Lacedæmoniis, quæ Orgia Bacchi fœda religione celebrabant.

Taygeta Laconiæ, } montes.
Hæmi Thraciæ, }

Ibid. v. 11. *Dacus ab Iſtro*. Daci, gens bellicoſiſſima, Romanis infeſta, a Germania Magna verſus ſeptentrionem fluvio Danubio diviſi.

Ibid. v. 20. *Sarrano oſtro*, i. e. purpura Tyria. Tyrus antiquis Sarra dicta fuit.

P. 66. v. 2. *Sicyonia bacca tropetis*. Oleum olivarum torculari exprimitur. Olearum optimarum ferax fuit Sicyon, Laconiæ urbs.

Ibid. v. 13. *Lenæe*. Bacchus Lenæus vocatur a græca voce ληνος, *torcular*, quo uvæ exprimuntur.

Ibid. v. 20. *Dictæi regis*. Jovis; qui in Cretæ inſulæ monte Dicte educatus perhibetur.

P. 67. v. 14. *Alphæa rotis - - Piſæ*. Alpheus fluvius Piſam, Elidis urbem, præterfluens, ubi Ludi Olympici & Elienſes in nemore Jovi conſecrato peragebantur.

Ibid. v. 28. *Elei metas.* Metam in Elienſibus certaminibus propoſitam.

P. 68. v. 11. *Pales*, Dea, ſecundum alios Deus, paſtorum & armentorum, cujus in honorem Palilia Romæ Majo menſe celebrabantur.

Ibid. v. 27. *Mileſia vellera.* Lana ex Joniæ urbe Mileto proveniens cenſebatur optima.

Ibid. v. 30. *Cinyphii hirci*, i. e. Africani, ita dicti per ſynecdochen partis pro toto a Cinyphe Africæ monte.

P. 69. v. 2. *Lycæi*, montis Lyciæ in Arcadia.

P. 72. v. 21. *Lenæos latices*, i. e. vinum. vid. notam pag. præced.

P. 73. v. 6. *Maſſica Bacchi munera.* Vinum Campaniæ in Maſſico monte creſcens inter generoſiſſima habitum. *Bacchus* vini Deus pro vino ipſo ſumitur.

Ibid. v. 30. *Phillyrides Chiron &c.* Chiron Centaurus, Jovis & Phillyres Nymphæ filius, artis medicæ peritiſſimus.

Melampus, Amythaonis filius, medicus celebratiſſimus. Inſinuat Poëta, omnem medicorum artem hic fruſtra adhibitam.

P. 75. v. 6. *Matris cymbala*, i. e. Cybeles Matris Deum. Hujus Deæ ſacerdotes, Galli dicti, in ſacris ejus æra pulſabant, in memoriam Corybanthum, quæ hoc ſtrepitu impediiſſe ferebantur, ne Jovis infantis in Dictæo vel ſecundum alios Ida monte educati, vagitus a Saturno patre inaudirentur, qui ſtruendas olim a filio ſibi inſidias metuens eum devorare in animum induxerat.

P. 76.

P. 76. v. 6. *Biferique rosaria Pæsti.* Pæstus nobilis olim Calabriæ urbs fuit, nunc vicus exilis, rosarum odoratissimarum bisque per annum florentium ferax.

Ibid. v. 12. *Sub Oebaliæ &c.* Tarentus, urbs Calabriæ celeberrima, *Oebalia* dicitur ab Oebalo Lacedæmonio, qui græcam eo coloniam adduxit: alluitur fluvio Galeso. Senex, quem Poëta laudat, Coryco in Cilicia ortus describitur.

Ibid. v. 30. *Seras in versum distulit ulmos*, i. e. ulmos jam adultas transplantavit, in quincuncem collocavit, forte etiam, e conjectura Minelli, inversas incurvavit, ut vitium pedamenta fierent.

P. 78. v. 7. *Parthenope*, i. e. Neapolis, ita primitus dicta, quod una e Sirenis virginibus ibi sepulta fuit.

Ex Aeneide.

Ibid. v. 11. *Lavina litora.* Urbs Lavinium ab Aenea extructa & in honorem Laviniæ conjugis, Latini filiæ, sic vocata.

Ibid. v. 6. *Sic volvere Parcas*, i. e. ita fati lege decretum esse. Fingebant veteres fata stamine quodam a tribus Parcis neri.

P. 79. v. 7. *Saturnia Juno*, Saturni ex Ope filia, quæ Trojanum bellum conflavit.

Ibid. v. 11. *Judicium Paridis &c.* Breviter Poëta recenset causas odii Junonis in Trojanos: nempe quod in contentione Junonis, Minervæ & Veneris ex Paridis judicio Venus pulchritudinis palmam consecuta fuit: quod Antigone filia Laomedontis Trojanorum regis forma se Junoni præferre

aufa fuit: quod denique Jupiter Ganymedem, Trois regis filium, in cœlum raptum, miniftrandis deorum poculis admoverit, in locum deturbatæ ab hoc munere Hebes, filiæ, quam ex Junone fuceperat.

P. 84. v. 8. *Sua præmia laudi*, i. e. virtus mercedis loco gloriam confequitur. *Laus* ponitur pro *virtute* per metonymiam confequentis pro antecedente.

P. 85. v. 26. *Munera lætitiamque Dei*, i. e. vini a Baccho dati, quod lætitiam infundit.

Ibid. v. 29. *Arte laboratæ veftes*. *Veftes* ftragulæ funt, & aulæa, quibus lecti difcubitorii & conclavia veftiuntur.

P. 86. v. 10. *Mediamque locavit*, i. e. confedit tanquam regina ad menfam in loco digniffimo; proximi ab ea in utroque menfæ latere difcumbebant Aeneas & perfonatus Afcanius.

P. 87. v. 8. *Crinitus Jopas - - - maximus Atlas*. Jopas unus ex Africæ proceribus, qui e confuetudine muficorum longos capillos alebat, ad imitationem Apollinis in hac arte principis. Cecinit Jopas præcepta Aftronomiæ, quam olim Atlas docuerat, cœlum humeris fuftinere a Poëtis dictus.

Ibid. v. 15. *Auroræ filius*, i. e. Memnon, Abydi rex, Tithoni & Auroræ deæ filius, de quo mira fabulæ narrant.

Ex L. II.

Ibid. v. 22. *Toro &c.* Sub Aeneæ perfona Virgilius cum Auguftum depingat, fiftit illum tanquam regem facrorum, in fupremo tori five lectuli loco accumbentem, qui fermonem orfurus decenti habitu corporis fe compofuerit.

Ibid.

Ibid. v. 24. *Danai*, Græci ita appellantur a Danao, Argivorum rege, Argus & Mycenæ Græciæ urbes fuerunt, ſuis regibus ſubjectæ.

P. 88. v. 19. *Teucria*, Trojani, quorum rex olim Teucer fuit. Troja Phrygiæ metropolis.

Ibid. v. 20. *Dorica caſtra*, i. e. Græcorum, Doris Græciæ provincia.

P. 89. v. 2. *Achivis*, i. e. Græcis, ab Achaia, Græciæ regione denominatis.

Ibid. v. 10. *Phrygia agmina*, i. e. Trojanorum exercitus, qui Phrygiam incolebant. Vocantur hi ſæpe etiam *Dardanii* a Dardano antiquo eorum rege.

Ibid. v. 24. *Belidæ nomen Palamedis*. Palamedis, unius e poſteris Beli Aſſyriorum quondam regis.

Ibid. v. 25. *Pelaſgi*. Poëtæ noſtro Græci paſſim *Pelaſgi*, *Graji*, *Argolici*, *Argivi*, *Danai*, *Dolopes*, *Myrmidones*, *Achivi*, *Ithaci*, *Dorici*. Trojani autem *Teucri*, *Phryges*, *Phrygii*, *Dardanidæ*, *Laomedontiadæ*, *Troes*, *Iliaci*, audiunt.

P. 90. v. 11. *Calchante miniſtro*. Calchas in Græcorum ad Trojam exercitu vatum princeps habitus fuit.

Ibid. v. 15. *Ithacus*, i. e. Vlyſſes Ithacæ rex. *Atridæ* Agamemnon & Menelaus, fratres, ex Atreo, Argivorum rege deſcendentes.

P. 92. v. 20. *Tritonia*, i. e. Minerva vide ſupra p. 175.

P. 93. v. 1. *Pro Palladio*. Palladium ferebatur ſimulacrum Palladis cœlo delapſum, cum Trojæ illi Deæ templum exſtrueretur. Promiſerat ea, urbem ab hoſtibus nunquam capi poſſe, quamdiu Palladium

ladium ibidem asservaretur: quod cum Ulysses & Diomedes, Tydei filius, qui hinc sæpe *Tydides* dicitur, astu surripuissent, Minerva Trojanorum in servando suo simulacro incuriæ irata, Græcis favit, hisque monstravit artem, equi lignei ope urbem occupandi.

Ibid. v. 11. *Pelopeïa ad mœnia*, i. e. Græca, Græcia *Pelopeïa* dicitur a Pelope antiquo Peloponnesi rege.

Ibid. v. 15. *Larissæus Achilles*, Achilles, cujus regia in Thessalilæ urbe, Larissa, fuit.

P. 99. v. 22. *Lycurgo.* Lycurgus hic Thraciæ rex non confundendus cum Spartanorum legislatore, vir impotentis animi fuisse perhibetur, qui cum in Bacchi odium omnes vites exscindi jussisset, insania a Deo immissa, sibi ipsi crura abscidit.

P. 100. v. 1. *Deducunt naves. Deducere navem* denotat eam de terra in aquam; *subducere* ex aqua in terram ducere.

Ibid. v. 4. *Nereïdum matri*, Doris hæc vulgo dicitur, conjux Nerei, Dei marini.

Neptuno Aegeo, Neptuno maris Aegæi Deo, quod hoc cognomen sortitum est ab Aegæo Atheniensium rege, qui in illud se præcipitavit. Insula, cujus Maro meminit, Delos est, in qua Latona Apollinem & Dianam peperit.

P. 105. v. 20. sq. *Aethra siderea*, i. e. splendore ætheris, sive aëris subtilissimi.

Ibid. v. 23. *Eoo* Oriente.

P. 109. v. 11. *Domitantque in pulvere currus.* Currus hic sumuntur pro equis ad currus alligatis, ad trahendosque eos usu formatis.

Ibid.

Ibid. v. 18. *Tectum augustum.* Ingeniosissime Poëta occasionem captat laudandi quasi per transitum domum Augusti in Palatio factam.

Ibid. v. 19. *Laurentis regia Pici.* Picus *Laurens* dicitur, a Laurente urbe, quam in Lavinio condidit.

P. 110. v. 22. *Patrio ex adyto*, i. e. Oraculo Fauni, cujus e posteris Latinus censebatur. *Adytum* dicebatur locus templorum remotus, quo adire solis sacerdotibus licebat, & unde oracula edebantur.

Ex Horatio.

Q. Horatius Flaccus Venusii ex liberto natus fuit A. V. C. 688. Pater in tenui licet re, nullis sumtibus in filio bene educando pepercit, quin ipse secutus est eum Romam, severus custos, usque dum vitæ suæ modum juvenis habere potuit: quam patris optimi in se formando solicitam curam Poëta deinde passim in carminibus grata pietate celebravit. Neque extinxit hanc reverentiam in filio fortunæ discrimen, postquam hic, Augusto per Virgilium commendatus, multum supra patris sortem exsurrexerat. Mæcenas eum tanta complexus est amicitia, ut moriturus Augustum his verbis rogarit: *Horatii tanquam mei memor esto.* Et voluit hoc suffragio persuasus Imperator, Horatii opera in scribendis epistolis uti, sed absque tamen offensione passus est repulsam. Juvenis castra Bruti secutus e Philippensi acie turpiter fugerat.

Epicuri disciplinæ addictus cum fuerit, mirandum non est, quod mox virtutis mox voluptatis laudes in carminibus celebrarit.

Obiit

Obiit ætatis anno 57. poſtquam Auguſtum palam nuncuparat hæredem, cum præ vi valetudinis teſtamenti tabulas obſignare non amplius potuiſſet. Sepultus eſt in Exquiliis juxta tumulum Mæcenatis.

Ingenii Horatiani præſtantiſſima ſuperſunt monumenta Odæ, Sermones ſ. Satiræ, Epiſtolæ & Ars Poëtica.

Inter editiones operum Horatii eminent *Plantiniana* Lugd. B. 1598. cum Enarrationibus Commentatoris Veteris & *Jac. Cruquii* in 4. *Hackiana* ibidem 1670. cura *Corn. Schrevelii* cum notis Variorum ſelectis integris *Jo. Bondi.* 8. *Rich Bentleji.* quæ & in Anglia & in Belgio aliquoties repetita fuit.

Nitida cum verſione Gallica *Dacieri* & *Sanadonis* e S. J. eorumque notis Amſtelod. 6 Voll. in 12. maj. Singularem vero laudem meretur recentiſſima Lipſienſis, quam ex *Wilh. Baxteri* ſecunda editione additis Lectionibus Variantibus ſuisque Obſervationibus curavit Germaniæ literatæ ſummum decus *Jo. Matthias Geſnerus* 1752.

P. 111. Od. I. Continet hæc Ode quodammodo dedicationem totius operis, quod Mæcenati, ſummo patrono, inſcribit.

Ibid. v. 9. *Terrarum dominos.* Loquitur de græcis ſtudiis, apud quos ad Deorum faſtigium evehi ſibi & aliis videbantur certaminum ſacrorum victores.

Ibid. v. 10. *Hunc* ſupple *juvat* ſ. delectat, ſic & in ſequentibus, *alium* ſcil. *juvat.*

Quiritium, i. e. civium Romanorum, qui Quirites ſalutari amabant, a Curibus priſca Sabinorum urbe, unde originem multi ex iis traxerant.

Ibid.

Ibid. v. 14. *Gaudentem &c.* Sunt qui dicant, innuere poëtam, agriculturæ ſtudioſum ſortem ſuam non permutaturum cum mercatore, licet inde divitias ſperare poſſet, immenſis opibus Attali, Pergamorum regis pares.

Ibid. v. 15. *Trabe Cypria:* ex inſula Cypro præſtantiſſima ligna ad navium conſtructionem petebantur.

Ibid. v. 16. *Myrtoum mare*, alias Aegæum, deſignat hic per ſynecdochen mare quodcunque.

P. 112. v. 4. *Pocula Maſſici*, Maſſicum vinum, quod in Maſſicis Campaniæ montibus naſcitur, pro generoſiſſimo quovis adhibetur.

Ibid. v. 10. *Sub Jove frigido*, i. e. ſub dio. *Jupiter* ſæpiſſime aërem deſignat.

Ibid. v. 14. *Marſus aper.* Marſia regio, Sabinis vicina, montoſa fuit, ob aprorumque frequentiam venationi opportuna.

Ibid. v. 19. *Euterpe, Polyhymnia*, Muſæ ſunt duæ, quarum illi jucunda carmina, huic bene dicendi facultas tribuebantur.

Lesboum barbyton, i. e. carmina lyrica, quibus Alcæus & Sappho in inſula Lesbo nati, nominis celebritatem conſecuti ſunt.

Od. II. p. 113. *Seculum Pyrrhæ.* Pyrrha Deucalionis uxor, cum marito ſola e diluvio ſuperſtes, quæ cum eo jactis poſt tergum lapidibus e Poëtarum fictione genus humanum reſtauravit.

Ibid. v. 3. *Proteus*, Phocarum ſive vitulorum marinorum cuſtos, Neptuni filius, fatidicus idem & varias in formas ſe transmutare ſolitus.

P. 113. v. 9. *Flavum Tiberim.* Nomen *flavi* Tiberi amni fere propium est, a colore aquarum, multum limi secum vehentium.

Ibid. *Litore Etrusio &c.* Denotat, Tiberim undis ab Hetruria s. Thuscia quasi repulsis, & retro actis urbem inundasse, & diruisse veterem Numæ regiam & Vestæ ædem.

Iliæ. Ilia e Marte gravida, cum Romulum & Remum peperisset, a patruo Amulio in Tiberi mersa, ab Horatio fingitur hujus amnis uxor.

Jbid. v. 29. *Erycina.* Venus ita dicta a templo, quod in Eryce, Siciliæ monte habebat. Dea hæc Romanorum mater habita, quoniam ex ea natus putabatur Aeneas, primus gentis auctor.

P. 114. v. 2. *Auctor*, Mars deus, Romuli pater.

Ibid. v. 9. *Filius Majæ*, Mercurius, e Jove & Maja, Atlantis filia, Pleiadum una natus. Varia inter munia, huic Deo tributa, fuit & hoc, quod animos corpore solutos credebatur ad inferos deducere.

Od. III. Debet hæc Ode originem tenerrimæ amicitiæ Horatii in Virgilium.

v. 1. *Diva potens Cypri.* Venus, præcipua religione in Cypro insula culta, cujus sidus nautis admodum salutare æstimabatur.

v. 2. *Fratres Helenæ*, Castor & Pollux, alias etiam Dioscuri, navigantium patroni.

v. 4. *Japyga.* Japyx Ventus ex Apulia flans, navigationi ex Italia in Græciam opportunus.

P. 115. v. 10. *Acroceraunia*, Promontorium Epiri, altitudinis summæ.

Ibid. v. 17. *Audax Japeti genus*, genus humanum a Japeto per Prometheum originem ducens, qui ignem e cœlo furatus eumque hominibus dono attulisse fingebatur.

Ibid. v. 26. *Perrupit Acheronta.* Inter famosissimos duodecim Herculis labores referebatur & hic, quod Cerbero cane tricipite catenis alligato, & ad superos pertracto, penetraverit ad inferos, liberaturus inde Alcesten, quæ conjugis Admeti mortem sua redemerat.

P. 116. Od. IV. v. 5. *Cytherea &c.* Venus, *Cytherea* dicta, a Cythera insula juxta Cretam, ad quam primum e spuma maris nata, in concha marina advecta perhibebatur, cum Nymphis & Gratiis mense Aprili, qui huic Deæ sacer erat, ad lunæ lucem saltare incipit.

Ibid. v. 9. *Aut viridi &c.* In hilaribus conviviis veteres coronis sertisque e floribus, myrto & similibus contextis caput ornabant.

Ibid. v. 11. *Seu poscat agna* scil. *sacrificium sibi fieri.*

Ibid. v. 15. *Fabulæque Manes.* Dii mortuorum de quibus multa passim memorantur. *Fabula* id de quo multum homines fantur.

Regna vini. Veteres in conviviis hilaritatis & decori ordinis studio *Magistrum convivii* s. *Modimperatorem* sortibus vel talis jactis constituere solebant, cujus ad leges convivæ se componere debebant.

Od. X. Poeta revocare vult Leuconoen a stulta superstitione, quæ a sic dictis Mathematicis, Astrologis & aliis ejusmodi nugatoribus imminentia fata

ex astris prædici posse autumabat. Vocat has artes *Babylonias*, quia Chaldæi, quorum caput olim Babylon fuerat, illis præcipue dediti fuerunt.

P. 117. Od. XX. v. 16. *Virga &c.* i. e. quem Mercurius semel ad inferos deduxit. vid. not. p. 192. ad v. 9.

P. 118. Od. XI. al. XIV. v. 6. *Geryonem, Tityonque.* Gigantes hi ambo sunt inter damnatos famosi. *Geryon* tricorpor, Hispaniæ rex, ab Hercule interfectus: *Tityos*, Terræ filius, quia Latonæ vim afferre voluerat, fulmine detrusus ad inferos & per novem jugera porrectus, apposito vulture immani, qui jecur ejus continuo recrescens exederet.

Ibid. v. 21. *Invisas cupressos.* Cypressus arbor in funeris indicium ante domos defunctorum collocabatur, ne propius accedentes Pontifices e cadavere contaminarentur. Frequens etiam ligni cupressini in rogis usus.

Ibid. v. 23. *Cæcuba &c.* Vinum prope Cæcubum, Campaniæ urbem, crescens habitum est inter nobilissima. Adhibitum ideo illud etiam in aditialibus Pontificum conviviis, quæ erant valde opipara & sumtuosa.

P. 119. Od. XIII. al. XVI. v. 27. *Achillem -- Tithonum.* Opponit venustissime Poëta duo claros ex antiquitate viros: *Achillem* qui cum tricesimum vitæ annum vix explesset, Græcorum fortissimus, ad Trojam occubuit: & *Tithonum.* Hic Laomedontis Trojani filius, ab Aurora adamatus, illius precibus immortalitatem consecutus erat; cum autem Dea oblita fuisset, viro etiam vigoris perpetuitatem petere,

petere, Tithonus ſenio confectus, cum ſibi & conjugi tædio viveret, tandem mutatus eſt in cicadam.

P. 120. Od. XVII. al. XX. A ſuſpicione jactantiæ quam ſuo ipſius encomio in hac oda Horatius incurrere videtur, interpretes eum liberaturi, contendunt, Poëtis, tanquam vatibus, licere ejusmodi fictionibus futura proſpicere. Si vero cogitemus, Flaccum in hac oda Mæcenatem compellare, laus omnis, quam ſibi tribuit, in illius ſummi viri gloriam redundabit: quia immortalitatis ſpem in eo unice ponit, quod ſua carmina Mæcenati placeant.

v. 2. *Biformis*, i. e. partim homo, partim cygnus, in quem ſe transformari fingit.

v. 19. *Marſæ cohortis.* Marſi, Italiæ populi, h. l. Italos univerſos atque Romanos deſignant, *Daci* Parthos, qui ſimulata fuga hoſtes ferire ſolebant.

P. 121. L. III. Od. VIII. Argumentum odæ primarium eſt laus lyræ & lyrici carminis, id quod ex invocatione patet. Huic cum vim adſcribat penetrandi etiam ad Inferos: deſumit inde occaſionem, addendi quædam de pœnis ſævitiæ ibi adhuc inſtantibus.

P. 122. L. IV. Od. II. alias III. Gratias agit Muſis, quarum favore felix carminibus faciendis ingenium nactus fuerit. Ita placuit hæc ode Scaligero, ut ſcripſerit, malle ſe ſimilem compoſuiſſe, quam Arragoniæ regem eſſe.

P. 123. v. 1. *Labor Iſthmius.* Ludi in Iſthmo Corinthiaco in honorem Neptuni ſingulis tribus annis eadem ſolennitate, qua ſingulis quinque annis Olympiaci, Jovi ſacri, celebrabantur. In his quoniam

quadrigarum cursu etiam decertabatur, *Curruum Achaicorum* meminit, Isthmus quippe in Achaiæ vicinia situs est.

v. 4. *Deliis foliis*, i. e. foliis lauri, quæ arbor Apollini, in insula Delo nato, sacra fuit.

Ex Epodon Libro. Denominatio hæc diversis interpretum conjecturis originem dedit. Plerique putant, *Epodon* nomen his carminibus inditum, quia singulis versibus vel saltem strophis singulæ clausulæ subjiciantur. Magis placet *Gesneri* sententia, qui ab argumento carminum horum, quæ pleraque sunt invectiva & maledica, appellationem derivat.

Od. II. Perperam putatur Horatius ex sua persona vitæ rusticæ laudes canere. Per ironiam potius fœneratorem inducit, commoda agricolarum ex vero quidem prædicantem, sed lucri fame statim ad usurariam pravitatem redeuntem.

P. 126. Satira I. Scripta est in modum dialogi, monstratque poëta verum divitiarum usum.

P. 129. v. 24. *Fortissima Tyndaridarum.* Jocose admodum, libertam, herum avarum occidentem, fortitudinis laude Tyndaridis præfert. *Tyndaridæ* sunt Helena & Clytemnestra, Tyndari filiæ, quarum utraque maritum, illa Deiphobum, hæc Agamemnonem occidit.

Ibid. v. 26. sq. *Mævius*, *Momentanus*, *Mævius*, (melius *Nænius*) & *Nomentanus* duo famosi heluones fuerunt, qui maxima patrimonia libidini gulæque impenderunt.

Ibid.

Ibid. v. 30. *Tanaim ſocerumque Viſelli.* Quare hos invicem ſibi opponat, eosque velut in tranſitu ſugillet Horatius, incertum eſt.

P. 130. *Criſpini ſcrinia lippi*, i. e. ne putes, me deſcribere velle verſus Criſpini, mali Poëtæ, qui ſtoicam philoſophiam magnis ſed malis libris deſcripſit, ipſe ex vinolentia lippus.

Ibid. Ex L. II. Sat. III. *Opimius.* Fuit hic homo prædives, ſed turpiter avarus, feſtis diebus *Vejentanum vinum*, viliſſimum, profeſtis *vappam* ſ. vinum corruptum, omnis ſaporis & odoris expers e figulinis vaſis potare ſolitus.

P. 132. Ex Epiſt. L. I. Ep. VII. *Nitedula in cumeram &c. Nitedula* muris agreſtis ſpecies eſt: *Cumera* vas ingens vimineum, in quo ruſtici frumentum recondebant.

v. ult. *Philippus.* L. Marcius Philippus, vir Conſularis & Cenſorius, qui inter ſummos oratores habitus, opibusque & gravitate florentiſſimus civitatis fuit, magno vir ingenio, qui matrem Auguſti, Acciam Juliam, habuit in matrimonio.

P. 134. v. 2. *Carinas.* Carinæ vicus erat urbis Romæ clariſſimus, in quo ſummi viri domos habebant: nomen ſortitus fuit a forma ædificiorum, quorum tecta carinas navium imitabantur.

Ibid. v. 10. *Tenui cenſu*, i. e. exiguis facultatibus. *Cenſus* ſæpe pro facultatibus & præcipue pro reditibus annuis adhibetur, quia cives Romani ſecundum eos in certas claſſes & centurias ex cenſu, a Servio Tullio olim inſtituto, deſcripti erant.

Ex Arte Poëtica.

Ad Pisones. Misit hunc librum Flaccus ad L. Pisonem, Urbis postea Custodem, qui summus vir ipse poëta & studiorum liberalium antistes fuit, & filios ejus. Præcepta hæc Artis Poëticæ non quidem omnia, sed eminentissima ubi studiosa juventus cum Gallica *Boilavii* paraphrasi, versione accuratissima quam abbati *Batteux* eodem idiomate, aliisque vernaculis, *Gottschedii* puta, *Langii* & similium, diligenter contulerit, planam sibi viam sternet ad Parnassum.

P. 136. v. 14. *Lucus &c.* Non quidem in universum ejusmodi descriptiones reprehendit Horatius, sed tantum vel nimium repetitas, vel alieno loco insertas.

Ibid. v. ult. *Aemilium circa Ludum Faber unus. Aemilius Ludus* vicus fuit Romæ prope Circum, cui ab Aemilio quodam rei gladiatoriæ magistro nomen impositum erat. Legunt quidam *imus*, ut faber designetur, aut in imo vico habitans, aut ultimus ab arte. *Unus* vel pro *aliquis* ponitur, vel superlativum indicat.

P. 137. ult. sq. *Receptus terra Neptunus.* Plerumque interpretes hæc referunt ad Portum Julium, quem regiis sane sumtibus Lucrinum inter & Avernum lacus a Julio Cæsare inceptum, Augustus construxit. Cum vero constet, quam vehementer appellationem *Regis* Augustus fuerit detestatus, malumus Horatii verba de decantatissimis conatibus Xerxis circa montem Atho exponere, præsertim cum is simul operis tentati inconstantiam memoret.

P. 138.

P. 138. v. 16. *Archilochum.* Archilochus Parius, poëta mordaciſſimus æque ac ſalaciſſimus, adeo quidem ut lectio carminum ejus publica lege prohibenda cenſeretur. Cum huic Lycambes quidam negaſſet filiam, verſibus adeo atris ſocerum ſponſamque proſcidit, ut ambo præ indignatione laqueo vitam finierint. Siſtitur itaque Archilochus tanquam poëta animi prorſus impotens.

Ibid. v. 28. *Cœna Thyeſtæ.* Celebratur hæc cœna omnibus fere Poëtis, præſertim Tragicis, qua Atreus, Mycenarum rex fratri Thyeſtæ filios, quos hic ex Aerope illius conjuge per adulterium ſuſceperat, patri epulandos exhibuit.

P. 139. v. 2. *Telephus & Peleus.* Præbuerunt hi heroes Græci materiam ſcribendis compluribus tragœdiis. Telephus quidem, Myſorum rex, cum ab Achille vulneratus, ex oraculi reſponſo non niſi ejusdem haſta ſanari poſſet, ſub pauperis habitu in caſtris Achillis opem hoſtis imploravit. Peleus, Achillis pater, occiſo per imprudentiam fratre Phoco, a patre Aeaco actus eſt in exilium.

Ibid. v. 20. *Davus, an heros.* *Davus* ſervi nomen in comœdiis frequens. Opponuntur ſibi commode ſervilis perſona & heros aliquis. Superflua hinc videtur conjectura, quæ *heros* ex obſoleta pronuntiatione pro *herus* legi vult, vel alia ratione textum immutat.

P. 140. *Scriptor Cyclicus.* *Cyclus* ſive Orbis eſt ſyſtema quoddam fabularum poëticarum a Theogonia usque ad reditum Ulyſſis. Hinc *Cyclici* poëtæ condi-

conditores hujus cycli, & descriptores servi, qui nihil præter hunc cyclum saperent.

P. 140. v. 20. *Antiphatem.* *Antiphates* Læstrygonum rex cum integra gente humana carne vesci solitus.

Scyllamque. *Scylla* & *Charybdis* scopuli in freto Siculo navigantibus exitiales, e quibus poëtæ monstra finxerunt

Cyclope. *Cyclops* uno tantum sed prægrandi oculo in media fronte instructus, Polyphemus, immanis gigas, cui caro humana dulcissimus cibus fuit. Monstra hæc omnia venustissime describuntur ab Homero in Odyssea.

Ibid. v. 21. *Reditum Diomedis.* Sugillat Horatius *Antimachum*, qui poëma de Diomedis e bello Trojano reditu ridicule orsus est ab interitu Meleagri, Diomedis patrui.

v. 22. *Nec gemino bellum.* Jungit Antimacho poëtam alium nobis incognitum, sed æque ineptum, qui Trojanum bellum sub titulo *Parvæ Iliados* descripturus, ab *ovo gemino* orsus est. Secundum fabulas Leda, Tyndari uxor, e viro & Jove in cygnum converso simul gravida, duo ova peperit, e quorum uno Pollux & Helena, ex altero Castor & Clytemnestra prodierunt. Helenæ autem raptus belli Trojani causa fuit. Cum febriculosis hisce poëtis Horatius comparat Homerum, ut hujus summa laus eo magis exsplendeat.

v. 29. *Aulæa manentis &c.* i. e. si drama conscribens, optas, ut spectator cum voluptate ad finem usque perseveret. *Aulæa* sunt ornamenta theatri, qui-

quibus tanquam tapetibus vestitur. Alii *aulæa* perperam de velo exponunt, quod sub singulorum actuum finem trahitur in altum, ut scenam claudat & spectatoribus obtegat.

P. 142. v. 24. *Placari Genius.* Putabant veteres suum cuique homini Genium, quasi Deum tutelarem adesse, cui conviviis aliisque lætitiæ testimoniis sit litandum. Hinc *Genio indulgere*, *genialiter vivere &c.* idem est ac voluptatibus indulgere.

P. 143. v. 2. *Sortilegis Delphis.* Delphi urbs ob oraculum Apollinis toto orbe olim celebrata fuit.

Ibid. v. 4. *Agrestes Satyros.* Satyri, Fauni & Sylvani, numina agrestia, forma partim humana partim caprina esse fingebantur. Diu illorum personæ in theatris adhibitæ sunt liberioris joci causa, donec id legibus vetaretur.

Davus - - - Pythias. Ille apud Terentium servus, hæc apud Lucilium ancilla, a quibus heri decipiebantur.

P. 145. v. 14. *Pompilius sanguis.* Pisones, ad quos Horatius scribit, genus deducebant a Calpo, Numæ regis filio, unde *Calpurnii* dicti fuerunt.

Ibid. v. 16. *Præsectum decies*, i. e. quicquid non crebra exploratione perfectum est. Utitur similitudine a marmorariis & ejusmodi artificibus desumta, qui unguibus juncturas & incrustamenta pertentant, ut magis magisque expoliant.

Ibid. v. 22. *Tribus Anticyris*, i. e. homo insanus, de cujus ad sanum sensum reditu prorsus desperandum est. Anticyra insula optimi hellebori ferax fuit, quo medicamento mente capti sanari posse cre-

 debantur.

debantur. Per hyperbolen Horatius asserit, omne helleborum, quod non in una tantum insula Anticyra, sed vel in tribus crescat, non sufficere ad purgandum istius poëtæ cerebrum.

P. 146. v. 16. *Ore rotundo*, i. e. pleno, ut nihil desit, nihil supersit.

Ibid. v. 20. *Filius Albini.* Introducit jocose filium Albini, divitis fœneratoris, quem pater in re alia nulla, præterquam numerandi arte instruendum curaverit.

Ibid. v. 20. *Linenda cedro*, i. e. quæ digna sint posteritatis memoria. Libros diu conservaturi cedrino oleo illinebant, & recludebant in arca cupressina.

P. 147. v. 2. *Pransæ Lamiæ.* *Lamia* terriculum fuit infantum, quod fingebant superius muliebri forma, inferne in pedes asininos desinente. Dicebatur hæc Lamia infantes vivos devorare, qui dein ex ejus alvo rursus extraherentur. Ejusmodi spectacula sanus quisque abhorret, avide autem nonnunquam excipit stupidum vulgus.

Ibid. v. 3. *Centuriæ Seniorum*, i. e. homines prudentes & in dignitate constituti. Utitur Horatius metaphora a comitiis centuriatis desumta, in quibus centuriæ non sine maxima digniorum præ abjecta plebe prærogativa suffragium ferebant.

v. 4. *Rhamnes*, i. e. Equitum ordo: quos in Rhamnensium, Tatiorum & Lucerum Tribus distinxit olim Romulus.

v. 7. *Sosiis.* Sosiæ Horatii ævo duo fratres opulenti bibliopolæ, qui magnam e mercatura libraria pecuniam fecerant.

Ibid.

Ibid. v. 19. *Choërilus.* Poëta hic admodum mediocris fuit, in cujus tamen carminibus inter multa deridenda quædam pulcra occurrerunt.

Quandoque bonus dormitat Homerus. Non innuit Poëta, quod Homerus *interdum* ſibi non conſtet: ex quo falſo ſenſu proverbialis locutio orta eſt. *Quandoque* enim non ſignificat *interdum*, ſed idem quod *quandocunque*. Indignari ſe ait Horatius, ſi vel ipſe poëtarum princeps, Homerus, a perfecto declinet.

P. 148. v. 3. *Meſſala - - Caſcellius. Meſſala Corvinus* ſummus orator, *Caſcellius Aulus* ſummus Jureconſultus fuit.

v. 5. *Non homines &c.* i. e. Nullibi placet mediocris poëta. Homines, Apollo cum Muſis, quin etiam columnæ, in quibus librarii ſuſpendunt novorum librorum titulos, eum reſpuunt.

v. 7. *Sardo cum melle.* Mel in Sardinia & Corſica inſulis natum peſſimi ſaporis eſt.

v. 19. *In Meti aures*, i. e. ſubmittatur cenſuræ viri docti & prudentis. *Spur. Metius Tarpa* fuit iis temporibus ſummus Criticus, doctus & ſeverus carminum auditor & æſtimator.

Ibid. v. 26. *Amphion.* Secundum fabulas Amphion Jovis & Antiopes, Thebarum reginæ filius, muros urbis condidit, motis ſono lyræ lapidibus, ut ipſi ſe in ordinem collocarent.

P. 149. v. 3. *Tyrtæus.* Fuit hic Athenienſis poëta omni membrorum parte deformis, quem cives per ludibrium Lacedæmoniis conceſſerunt, cum hi in bello cum Meſſeniis oraculi juſſu ducem ab iis petiiſſent:

tiissent: præstitit Tyrtæus carminibus, & inventis tubæ moderationibus, quod bellica virtus & experientia nequiverat: accensi animis Spartani sub ejus ductu plenariam de Messeniis victoriam reportarunt.

Qui Pythia cantat tibicen. Proprie *Pythia cantare* dicebantur tibicines, qui laudes Pythii Apollinis cantu & tibia in ludis solennibus celebrabant. Ejusmodi tibicines, quia soli, reliqua symphonia tacente, canebant, munus eorum utique difficile fuit; hinc non nisi adhibita summa industria quis eo perveniebat, ut Pythia canere posset.

P. 150. v. 9. *Quintilio.* Est hic Quintilius Varus, poëta, amicus Virgilii, quem super ejus morte dolentem consolatur Horatius Od. L. I. Od. XX.

Ibid. v. 25. *Irata Diana*, i. e. homo lymphatus, qui pro lunæ incremento vel decremento vertitur in insaniam. *Diana* s. *Luna* ex veterum superstitione ejusmodi morbos immittere credebatur.

P. 151. *Triste bidental moverit.* Locus fulmine tactus dicebatur *bidental*, quoniam *bidens* s. ovis ibi iræ Deorum placandæ causa immolata fuit. Ejusmodi loca sepimento inclusa consecrabant veteres: quæ violare sine summa impietate nemini licebat.

Ex Juvenale.

D. Junius Juvenalis quo loco ortus, quove genere vitæ fuerit, non constat. Id unice scimus, eum jam senem sub Domitiano imperatore & post illum floruisse. Scripsit igitur optima latinæ linguæ ætate. Dicendi libertas magna illi passim odia, satirica poësis æternam laudem peperit. Sunt in illius

illius Satiris multa adeo præclara, ut in universa antiquitate pulcrius nihil reperire liceat. Nativitas Juvenalis & mors æque ignorantur. Dicitur, quasi per honorem militiolæ summo jam senio confectus, præfectus cohortis in extremam Aegyptum tendentis missus, ut urbe summoveretur, quia sua tempora præcipue Antinoum Hadriani catamitum traducere visus erat. Redux ex hoc honesto exilio, non ita multo post obiit. Extant ejus Satiræ sedecim, sæpius excusæ. Præstantissima editionum omnium est, Henniniana, quæ Lugduni Bat. 1685. iterumque ibidem 1695. prodiit, hoc titulo: *D. Junii Juvenalis, Aquinatis Satyræ: cum scholiis veterum & commentariis integris & conquisitis fere omnium eruditorum, ut Isaac. Grangæi, Jo. Britannici, Nic. Rigaltii, Pet. Pithœi, Th. Pulmanni, Dom. Calderini, Georg. Vallæ, Eilh. Lubini, B. Autumni, Jo. Gerh. Vossii, Oct. Ferrarii, Cl. Salmasii, Jos. Scaligeri, Nic. Heinsii, Jo. Frid. Gronovii, J. G. Grævii, Is. Vossii, Lud. Orleans, J. A. Gonsalii de Salas, Th. J. Almeloveenii, H. C. Henninii & aliorum. Cum Indice locupletissimo omnium vocabulorum*, in 4. Nec privandæ sua laude sunt in studiosæ juventutis commodum adornatæ editiones cum *Thom. Farnabii Notis*, & *cum Variorum* cura *Corn. Schrevelii* Amstelod. 1664. & 1684. in 8. Nitidissime & emendatissime prodierunt nuper demum *Juvenalis & Persii Satyræ*, additis Argumentis & Chrestomathiis studio *Jo. Petr. Milleri*, Berolini 1749.

P. 151. v. 18. *Theseïde Codri.* Codrus hic, cætera ignotus, malus fuit poëta, qui ad instar Virgilianæ

Aenei-

Aeneidos longum poëma de Theſeo, ejusque ad inferos aditu ſub nomine *Theſeïdos* conſcripſit. Alius ejusmodi ineptus Poëta *Cluvienus* occurrit infra p. 152. v. 4.

v. 19. *Togatas.* Diſtinguuntur Romanorum comœdiæ in *Togatas* & *Palliatas*: illæ ad Romanos mores, hæ ad Græcos compoſitæ, in illis perſonæ *togis*, in his *palliis*, pro diverſo habitu veſtium apud Romanos Græcosque utebantur.

v. 21. *Telephus.* Exagitat Tragœdiam nimis prolixam de Telepho, Myſiæ rege, ab Achille, cum Græcos a Trojæ obſidione arcere vellet, in prœlio vulnerato, & nonniſi ejus haſta iterum ſanato.

v. 22. *Oreſtes.* Carmen incerti auctoris, æque longum & faſtidii plenum, ac præcedens, Oreſtis varios caſus miſere deſcribens.

P. 152. Ex Sat. III. Perſtringit hac Satira Juvenalis tumultus & tædia, quæ commorationem in urbe Roma bonis viris inviſam reddant. Loquentem inducit amicum, Umbricium, Cumas ex urbe diſcedentem, in qua ſortilegi, aſtrologi & nefarii quique dominentur; boni & honeſtis artibus dediti, tanquam ridiculi, non honoribus tantum ſed & rebus neceſſariis careant, compluribusque non tantum moleſtiis ſed & periculis ſint obnoxii.

v. 5 *Prochytam præpono Suburræ. Prochyta* inſula fuit deſerta & horrida prope Puteolos: *Suburra* vicus in urbe Roma nobiliſſimus.

v. 11. *Ad Veteres Arcus madidamque Capenam.* Non procul a *Porta Capena*, ſive Appia, quæ Cumas ducebat, quæque ob Aquæductus ibidem extructos

madi-

madida, alias etiam propter fontes *Fontinalis* dicitur, erant *Veteres Arcus*, olim vel a Romulo vel ut alii contendunt, in memoriam tergeminorum Horatiorum extructi, & in antiquitatis honorem a posteris solicite conservati.

P. 153. v. 3. *Ubi Dædalus exuit alas.* Fert vetus fabula, Dædalum, e Cretensi carcere profugum, alas e cera factas Cumæ, quo trans mare volarat, posuisse. vid. Virgil. Aeneid. L. VI. 14. sqq.

Ibid. v. 5. *Lachesi &c.* i. e. dum vivendi tempus aliquod suppetit. *Lachesis* ejusque sorores Clotho & Atropos, Parcæ, secundum poëtas stamen humanæ vitæ nere & succidere dicebantur.

v. 7. 8. *Arturius, & Catulus*, sub his nominibus traducit Juvenalis sectatores, adulando & nefariis blanditiis divitias corradentes.

v. 11. *Domina venale sub hasta*, i. e. maneant Romæ, qui ad omnia venales, vel se ipsos *sub hasta* in auctione vendendos sistere possunt. Insigebatur enim apud veteres hasta in loco publico, tanquam signum venditionis solennis.

Ibid. v. 14. *Munera edunt*, i. e. dant suis iisque immensis sumtibus populo spectandos ludos gladiatorios. His in ludis populo jus fuit de gladiatorum ab adversario devictorum vita vel nece statuendi, & *conversus pollex* addictonis ad mortem, *pressus* favoris, vitam misero donantis, signum erat. Natum hinc est proverbium *premere pollicem*, i. e. favorem testari.

Juvenalis indignabundus invehitur in homines, qui e fæce plebis ad fortunæ eminentis fastigia pessimis artibus emerserant.

Ibid.

Ibid. v. 25. *Namque nisi magnis &c.* Lege *nonque nisi &c.* i. e. non sine magnis opibus suaviter in urbe dormire licet: quoniam ædes spatiosæ, conclavia a tumultu vicorum remota habentes, non nisi magnis expensis comparari poterant.

P. 155. v. 5. *Pomptina Palus & Gallinaria pinus. Palus Pomptina* in Volscorum regione fuit, *Pinus Gallinaria* autem vocatur sylva pinea in Cumano sinu, phasianorum feracissima. Ambo hæc loca latronum latibula erant. Mordacissime igitur Juvenalis asserit, grassatores & latrones, ubi suis e latibulis fugere cogantur, Romam confluere, quasi ad escam paratam, ubi cædibus & rapinis se tuto exsatiare queant.

P. 155. Ex Sat. VI. v. 7. *Cynthia, nec tibi &c.* sub *Cynthiæ* & *Lesbiæ* nominibus traducit feminas mollitiei & rei Venereæ deditas. *Cynthiæ* quidem Tibullus, *Lesbiæ* autem, passeris morte nimium contristatæ, amores Catullus carminibus suis celebrarunt.

P. 156. Ex Sat. VII. v. 156. *Sagittæ*, h. l. per metaphoram dicuntur argumenta rhetorica, quibus adversarii sententia refutatur.

P. 157. v. 2. 3. *Læva - - - Arcadico juveni*, i. e. si adolescens stupidus, asino similis, quasi cor non haberet, nihil capit. Cor, vulgo sedes animæ, pro intelligendi facultate sumitur, unde proverbium est de homine stupido: *Corpus sine pectore.* Arcadia Græciæ regio quia frequentes produxit asinos, inde incolis ejus Arcadibus ignaviæ & stupiditatis nota fuit inusta.

Ibid.

Ibid. v. 8. *Seſtertia Quintiliano &c.* Indignabundus conqueritur, homines in reliquis rebus omnibus prodigos, præbere ſe avariſſimos in ſolvendo didactro pro filiis informationi optimi præceptoris, qualis Quintilianus rhetor erat, commiſſis. *Duo ſeſtertia* conſtituunt 200. Libras Turonenſes, e calculo Eiſenſchmidii, vel Philippicos 50. ſi Scioppii numeros ſequamur. Quæ ſummula Satirico pretium nimis vile annui laboris in puerorum inſtitutionem impenſi videtur. Interim lautis etiam præmiis affectus fuerit Quintilianus, neceſſe eſt, quia e ſcholis rhetoricis Romæ apertis non ſpernendas divitias acquiſivit.

Ex Sat. VIII. Exagitat in hac Satira Juvenalis acerbiſſime nobiles illos, qui majorum ſolis imaginibus turgidi, propria virtute deſtituuntur. Oſtendit itaque, ſtemmata nihil ad laudem facere, ſi vita labat; cum vera nobilitas in ſola virtute conſiſtat: quandoquidem nomina non majus alicui meritum conciliare queant, quam nano, ſcabioſo cani, leonis appellatio. Stultum itaque eſſe, ob genus & proavos contemnere velle homines e plebe ortos, ſed ſuis & propriis meritis conſpicuos: quales apud Romanos fuerunt Marius, Cicero & ſimiles. Præſertim cum non raro ſceleratiſſimi quique, Catilina, Cethegus & ſimiles ex antiquiſſimis ſplendidiſſimisque familiis ortum traxerint.

Idem argumentum tractavit etiam *Horatius* Lib. I. Sermon. Sat. VI. & *Seneca* Epiſt. XLIV. E recentioribus Juvenalem ad verbum fere expreſſit Satiricorum inter Gallos princeps *Boilavius*,

Sat. VI. quam germanicis verſibus reddidit illuſtris *Canizius.*

Ibid. v. 1. *Stemmata &c.* Stemmata ſunt ſeries imaginum lineis inter cohærentium, quibus genealogiæ veterum familiarum explicantur. His jungebant Romani Imagines majorum, quas in atriis, incluſas armariis, pictas, vel ſculptas ex ære & marmore, vel etiam ex cera effictas aſſervabant: ut nobilitatem inde ſuam illuſtrarent, & ad funera gentilitia deducenda eas adhiberent. Hæ imagines & ſigna, quoniam vetuſtate ſenſim atterebantur, quo magis temporum injuria lædebantur, eo majori habebantur in pretio.

v. 9. *Coram Lepidis*, i. e. coram ſtatuis Lepidorum & ſimilium majorum, quorum præclara facta poſteros ad virtutis ſtudium incitare deberent.

P. 158. v. 16. *Phalaris.* Tyrannus Agrigentinorum infamis ob ſævitiam & præcipue ob taurum æneum, in quo lento igne homines miſere excruciavit.

P. 158. v. 131. *A Pico.* *Picus*, Aboriginum rex, Saturni filius, Latini avus habitus.

v. 132. *Titanida pugnam.* Titanum cum Jove & ſuperis bellum ab ultima rerum humanarum origine ſecundum poëtas celebratur.

v. 133. *Promethea.* *Prometheus* Japeti filius, qui primus homines e luto finxiſſe, illosque igne, per furtum e cœlo ſubrepto, animaſſe perhibebatur.

v. 269. *Therſites.* *Therſites* ab Homero deſcribitur Græcorum omnium apud Trojam & corpore

& animo maxime deformis, qui cum e continua in reges calumnia gloriam captaret, ab Achille, Pelei filio, Aeaci nepote, qui hinc *Aeacides* dicitur, pugno occisus est. Huic Achilli mater Thetis arma splendidissima a Vulcano impetraverat, de quibus post ejus mortem Ulysses & Ajax acerrime decertarunt.

Sat. IX. v. 102. *Corydon.* Quia *Corydon* pastor a Virgilio in secunda Ecloga loquens inductus est, hinc apud poëtas *Corydon* sæpe pro homine rustico & simplice adhibetur.

Sat. X. Castigat in hac Satira Juvenalis dementiam hominum, qui prava cupiditate decepti, votis omnibus res appetere solent, quæ iis tandem sunt exitio. Recenset igitur ordine cuncta bona apparentia, divitias, honores, vitam longævam &c. & subjungit, quibus singula periculis atque incommodis sint obnoxia.

v. 213. *Seleuco.* *Seleucus* Juvenalis ævo citharoedus nobilissimus fuit: ponitur hic pro quoque musico celebri.

P. 161. v. 6. *Themison &c.* In transitu quasi, pro Satiricorum more, dum aliud agit, perstringit aliquem. Sugillat hic malum medicum, cui Themison nomen erat.

Sat. XI. Amicum ad frugalem cœnam invitaturus, gulæ incommoda & furorem eorum exagitat, qui integra & ampla patrimonia mergunt in ventrem.

v. 3. *Apicius.* Fuit Apicius gulæ mancipium, qui cum immensas opes abliguriviſſet, haberet tamen adhuc, unde satis laute vivere posset, præ inediæ metu se suspendit. Habemus ejus *de Opsoniis & Condimentis* sive *de Re Coquinaria* Libros X.

v. 22. ſq. *Aemula Picenis mala*, i. e. Poma guſtus adeo ſuavis, ut cum iis certare queant, quæ in agro Piceno prope Anconam naſcuntur, quæque habita ſunt præſtantiſſima.

v. 26. *Curius. M. Curius Dentatus*, Dictator, Samnitium victor, qui poma & olera figulinis in vaſis coquere ipſe ſolitus, magnum auri pondus ab hoſtibus oblatum reſpuit, parvo vivens, ſed patriæ ſaluti unice ſtudens.

Sat. XIII. Solatur & reprehendit Calvinum, dolentem immoderatius ex eo, quod depoſitum ſibi falſo creditus amicus jurejurando interpoſito negarit. Monſtrat itaque, malos & perjuros, licet omnem numinis metum exuant, tandem tamen impunes non abituros.

P. 164. v. 5. *Puer Iliacus*. Ganymedes Trojanus, a Jove in cœlum raptus, ut diis in ſolennibus conviviis eſſet a poculis, poſtquam Hebe Jovis & Junonis filia & demum Herculis conjux, immodeſte lapſa, hoc miniſterio mota erat.

Ibid. v. 7. *Liparæa taberna*. Fingebant veteres, officinam Vulcani fulmina Jovi fabricantis eſſe in inſulis Liparæis prope Siciliam.

P. 165. v. 4. *Tireſiam*, i. e. cæcum. *Tireſias* vates, qui excæcatus dicebatur, vel quod contra Junonem in ludicro cum Jove certamine ſententiam dixerat, vel quod in Palladem ſe lavantem temerarios conjecerat oculos.

Sat. XIV. Satira hac longe elegantiſſima perverſæ educationis vitia deplorat, graviterque monet paren-

parentes, ut ſuo exemplo in liberis ſtudium virtutis excitent.

v. 35. *Titan.* i. e. Prometheus unus e Titanibus, qui primus homines e luto finxiſſe dicebatur.

v. 43. *Nec Brutus, Bruti nec avunculus &c.* Opponit hic Brutum, qui a Julii Cæſaris cæde cognomen Liberatoris patriæ acceperat, ejusque avunculum, Catonem Uticenſem, acerrimum libertatis Romanæ aſſertorem, Catilinæ. Oſtendere autem vult his exemplis, malos ubique multos, bonos viros reperiri pauciſſimos.

Sat. XV. In ſtultam Aegyptiorum ſuperſtitionem invectus, ex eo, quod Tentyræi inſano fœdæ religionis æſtu perciti, e fugitivis Ombitis unum in fruſta diſſecatum immaniter devorarant, occaſionem capit, feritatem hominum mutuis inter ſe odiis furentium deplorandi.

P. 167. v. 21. *Pythagoras.* *Pythagoras* Samius, maximi nominis Philoſophus, qui cum animorum corpore ſolutorum in alia corpora migrationem ſtatueret, non tantum a carnibus veſcendis, ſed ab olerum etiam quorundam eſu abſtinuit.

Ex Perſio.

P. 168. *Aulus PerſiusFlaccus* equeſtri familia eaque divite natus fuit imperante Tiberio. Laudantur in eo mores leniſſimi, verecundia virginalis, forma pulchra, & pietas erga matrem, amitam atque ſororem plane ſingularis. Luxuriæ & ſcelerum Romæ vigentium pertæſus, privatam vitam Vo-

laterris, quæ patria ipſi urbs fuit, agere maluit, quam adſpirare ad publicos honores, quorum aditum ſanguinis & affinitatis cum viris primi ordinis conjunctio facillimum reddere videbatur. Stoicæ licet ſectæ addictus, frugi & pudicus maxime fuerit, moroſitatem tamen omnem adeo vitavit, ut Senecæ, quamvis cognati, ingenio, tanquam nimis ſevero, parum caperetur. Aetatis anno triceſimo mortuus, Satiras ſex adhuc imperfectas reliquit. Hæ quantumvis difficiles ſint, auctori tamen honeſtum optimos inter poëtas locum conciliarunt.

Prodierunt plerumque una cum Juvenalis Satiris. Superflua hinc foret editionum recenſio; quippe quam paulo ſuperius dedimus.

In Prologo Perſius ſe ipſum ridendum propinat, ut eo tutius mediocres poëtas ridere queat.

v. 5. *Pallidamque Pirenem. Pirene* fons erat Acrocorinthi, ſive in Corinthiorum arce, Muſis Nymphisque ſacer, ideoque a poëtis maxime celebratus. Vocat hanc Perſius falſe *pallidam*, quod poëtæ anxio ſtudio pallorem ſibi attrahant.

χαῖρε. Hanc ſalutandi formulam cum pſittaci & picæ aves non niſi fame magiſtra addiſcant, comparat cum his famelicos poëtas, qui ventris explendi cauſa carmina adulatoria conſcribunt.

Sat. I. Laceſſit Perſius ſub tectis fictisque nominibus Neronis & familiarium ejus in captando ex carminibus trivialibus applauſu vanitatem.

v. 4.

v. 4. *Polydamas & Trojades Labeonem prætulerint*, i. e. num verear, ne Romani effeminati, Nero potissimum & similes, præferant mihi miserum poëtam, qualis est Labeo? *Polydamas* Antenoris Trojani filius, imbellis & ignavus fuit, cujus tamen loquaces contumelias magnus Hector expavit: hic Neronem designat. *Trojades* acerbissime vocat Romanos, a Trojanis quidem descendentes, sed mollitie Troades, feminas Trojanorum æquantes. *Labeo* ineptus poëta fuit, qui Homeri Iliadem misera versione ad verborum apices expressa fœdavit magis quam exhibuit.

P. 169. v. 12. *Sardonyche*, i. e. ornatus digitum pretioso annulo, cui sardonyx gemma inclusa, quem natali die dono accepi. Ridet poëtas, qui applausum emendicaturi, non nisi molliter vestiti, adhibitaque mira vocis & actionis sive gestuum cura, carmina sua publice recitabant.

Hinc addit *patranti fractus ocello*: exagitans molles & protervas oculorum contorsiones, quibus istiusmodi poëtæ auditoribus abblandiantur.

v. 21. *Phyllidas*, *Hypsipylas &c.* Pergit Persius in sugillandis poëtis, subjungitque, eos teneris amatoriisque carminibus unice inhiare & crepare ideo tantum *Phyllidas* & *Hipsipylas*, sive epistolas sub persona puellarum ab amatoribus desertarum conscriptas. *Phyllis* Lycurgi Thracum regis filia, a Demophoonte Thesei filio, quem Troja in Græciam redeuntem & naufragum hospitio exceperat, *Hipsipyle*, Thoantis filia, Lesbi insulæ regina, a Jasone, quem

aureum vellus petiturum similiter hospitio exceperat, derelictæ multam carminibus materiam præbuerunt. vid. Ovid. Heroid. Epist. II. & VI.

P. 170. Sat. II. Plotio Macrino diem natalem gratulaturus, laudat eum, quod sapientiæ, quæ sola recte orare docet, studiosus, aliorum stulta & inutilia vota damnet. Excurrit hinc in reprehensionem eorum, qui Deos ex suo ingenio judicantes, muneribus tantum sibi conciliare satagunt, nulla bonæ mentis cura adhibita.

v. 1. *Numera meliore lapillo*, i. e. accense hunc diem felicibus. Proverbialis locutio desumta est a consuetudine Cretensium, qui dies lætos albo, tristes nigro lapillo in cistam conjecto indicabant, & postea computatione instituta, iis tantum anni diebus se vere vixisse rati sunt, quos lætos transegerant.

P. 171. v. 1. *Veneri donatæ a virgine puppæ*, i. e. nihil. Nempe tantundem aurum in templis vel statuis prodest, quantum Veneri laneæ vel cereæ puppæ & imagunculæ puellares a virgine nuptura consecratæ. Solebant autem virgines nupturæ imagunculas, lusus infantilis instrumenta, Veneri offerre in signum & quasi pignus, quod cum tempus alios mores postulet, seriis nunc rebus intentæ esse velint.

v. 3. *Messalæ lippa propago*. Perstringit obiter Cottam Messalinum, majoribus suis, a quorum virtute degeneraverat, plane indignum.

Sat. III. v. 39. *Siculi tyranni*. Phalaridis, cujus taurus æneus notus est. vide supra p. 210.

v. 40. *Auratis pendens laquearibus ensis.* Respicit ad historiam Damoclis parasiti, cui Dionysius tyrannorum felicitatem ostensurus, mensam regiam instruxit, sed ita, ut ensis e seta equina super ejus caput suspensus singulis momentis vitæ periculum intentaret.

v. 66. *Cratero*, i. e. Medico: per Synecdochen *Craterum* celebrem sui ævi medicum pro quovis medico nominat, cujus opem & consilia magnis impensis homines redimunt.

P. 172. Sat. V. Monumentum est hæc Satira gratissimi animi, quo Persius Cornutum, suum in Philosophia præceptorem, prosecutus est.

v. 30. *Purpura cessit*, *bullaque &c.* i. e. cum ex ephebis excederem sumeremque togam virilem. Prætexta fuit toga purpureis fimbriis ornata, quam pueri Romanorum nobiles ad annum usque ætatis decimum sextum portabant, suspensis e collo *bullis* s. globulis aureis. Has bullas, quando virilem sumebant togam, consecrabant diis Laribus, qui humero sinistro obvoluto, pelle canina, dextro autem nudo effingebantur: unde Persius eos *succinctos* vocat.

v. 35. 36. *Suscipis Socratico sinu*, i. e. me juvenem paterno affectu prosecutus es, & ad vitam honestam deduxisti, quemadmodum olim Socrates, mortalium sapientissimus, fecerat.

v. 40. *Artificemque tuo ducit sub pollice vultum*, i. e. animus tua institutione ad virtutem formatur, ut verum hominem referat. Utitur Persius metaphora

a ſtatuariis deſumta, qui ſtatuas e limo vel cera molli factas pollice ſuo lævigant.

63. 64. *Purgatas inſeris aures fruge Cleanthea.* Loquitur poëta per hypallagen, ſive caſuum permutationem, naturalis verborum ordo ita fluit: *frugem Cleantheam inſeris purgatis auribus*, i. e. in animos, a vitiorum ſentibus purgatos, tanquam in agros, ſeris ſalutaria præcepta Cleanthis, velut bonam ſementem, quæ uberrimos juſto tempore fructus ferat. *Cleanthes*, Zenonis Stoicorum principis auditor indefeſſus, demumque ſucceſſor, tum ob præclaras alias virtutes, tum ob laboris patientiam celebris fuit. Cum enim non haberet præ inopia, unde ſtudia ſuſtentaret, noctu puteos in hortis exhauſit, ut ex mercede inde acquiſita interdiu vivere & philoſophiæ operam dare poſſet. Ex eo *Cleantheus labor*, & *Cleanthea lucerna* per proverbium, de iis adhibentur, quæ ſummo ſtudio & aſſiduitate ſingulari ſunt elaborata.

INDEX
NOMINVM PROPRIORVM,
QVAE
IN SECVNDA EX AVCTORIBVS POETICIS EXCERPTORVM PARTE CONTINENTVR.

Tipheus,

INDICIS FINIS.


SELEC
LATIN
SERMO
EXEMP